






302468466$

41

# SPARTIANI VITA HADRIANI

## COMMENTARIO ILLVSTRATA.

### DISPVTATIO PRIOR.

SCRIPSIT

IVLIVS CENTERWALL.

Upsala Universitets Årsskrift. 1870.

Philosophi, Språkvetenskap och Historiska Vetenskaper. I.

VPSALIÆ
TYPIS EXSCRIPSERVNT EDQVIST ET BERGLVND
MDCCCLXIX.

# Spartiani Vita Hadriani.

## Commentario illustrauit

**Iulius Centerwall.**

### Disputatio Prior.

---

Memini me quondam legere a summo quodam uiro dictum esse debere omnem præfationem id ante omnia continere, ut dicatur quomodo ortus sit liber. quæ sententia quum mihi uera esse uideatur, paucis commemorabo, quare adfluentibus undique rebus de quibus disputarem hanc præcipue mihi seposuerim ut iuueniles in ea uires exercerem.

quum igitur iam diu in eo uersarer ut historiam Augustam moresque Romanorum cognoscerem quales essent dominatus temporibus, quum præsertim in hac antiquitatis parte multa uiderem esse perobscura et digna quæ summa diligentia illustrarentur, anno fere abhinc contigit, ut uir mihi familiaritate coniunctus dissertationem ad summos in philosophia honores capessendos de uita Hadriani conscriptam editurus esset publiceque defensurus. rogauit igitur a me, ut in hanc nostræ Academiæ arenam amicus ei aduersarius descenderem. quod quum petenti facile concessissem, necesse mihi uisum est, ut et aliis et mihi satisfacerem, omnia perlegere quæ de Hadriano scripta inuenire possem. in quo hoc mihi maxime mirum uisum est, quod summi uiri Tillemontius Meriualius Gregorouius, quos honoris causa nomino, ita sæpe errauerunt, ut ego quoque perspicerem multa ab iis perperam esse intellecta explicata dicta.

atque quærenti mihi quid esset cur in hac re etiam doctissimi historiarum scriptores non semper uerum uidissent, hæc præcipue causa occurrit, quod nemo extitit qui auctores Historiæ Augustæ ita tractaret ut hoc antiquitatis studium postulat. quis enim est qui nesciat his temporibus quantum in ea scientia titulis et numis inuestigandis iisque cum scriptoribus comparandis profecerint Borghesius Boeckhius Mommsenus ceteri, ut innumerabiles fere res, quæ antea

occultæ et quasi inuolutæ iacebant, summa perspicacitate summoque ingenio aperirent? iam uero quum perspicuum sit, si ita ut significaui Spartiani de uita Hadriani liber tractetur, inde non paruam utilitatem ad huius imperatoris res gestas moresque temporum eius cognoscendos posse redundare, commentariolum institui scribere, quo hic de quo dixi liber illustraretur. idque non ea sententia feci, ut posse me adolescentem multum noui afferre confiderem, sed ut, quæ ubique ad uitam Hadriani illustrandam idonea inuenirem, ea uno loco colligere conarer. quamquam fieri non potuit, quin sæpenumero minime in iis, quæ a doctis uiris statuta erant, acquiescere possem. Itaque factum est ut nonnumquam noua et inaudita proponere uidear, quæ tamen probabilibus argumentis firmare conatus sum; neque siquis me erroris arguerit, id feram indigne sed gaudebo, quod fieri posse credo, ut quum tiro prodierim a ueteranis correctus et edoctus postea in hac scientia quam præ ceteris diligo aliquantulum proficiam.

in contextu uero quam minimum mutaui, ne meis coniecturis peior etiam fieret, qui satis antea est corruptus. et maxime ex ueteribus editoribus secutus sum Casaubonum Salmasium Gruterum, ex recentioribus Iordanum et Eyssenhardtium, qui una editionem fecerunt. Peterum etiam adhibui, quamquam ei non nimium tribuo. uarietates librorum tantum adieci Bambergensis et Palatini, qui longe optimi omnium sententiis iudicantur. alios codices quales sint qui cognoscere uelint, adeant egregiam Iordani præfationem.

speraueram fore ut totum iam nunc commentarium emittere possem. quod mihi non contigit, quum temporis augustiis intercluderer, et multis de causis, quas hic attingere nihil attinet, id mea referret ut quam celerrime disputationem ederem. breui autem alteram quoque partem emittam et subiungam duo Excursus, quorum in altero disputabitur de itineribus Hadriani deque prouinciarum eo imperante statu, in altero demonstrabitur quantum ad ius ciuile Romanorum constituendum hic fecerit imperator.

Scripsi Vpsaliæ a. d. VIII Id. Dec. MDCCCLXIX.

# SPARTIANI

## VITA

## HADRIANI.

Origo imperatoris Hadriani uetustior a Picentibus, posterior 1
ab Hispaniensibus manat, si quidem Hadria ortos maiores
suos apud Italicam Scipionum temporibus resedisse in libris
uitæ suæ Hadrianus ipse commemorat. Hadriano pater Ae-
lius Hadrianus cognomento Afer fuit, consobrinus Traiani im- 2
peratoris mater Domitia Paulina Gadibus orta soror Paulina
nupta Seruiano uxor Sabina atauus Marullinus qui primus
in sua familia senator populi Romani fuit.

natus est Romæ VIIII kl. Feb. Vespasiano septies et 3
Tito quinquies consulibus. ac decimo ætatis anno patre or- 4
batus Vlpium Traianum prætorium tunc consobrinum suum,
qui postea imperium tenuit, et Caelium Attianum equitem
Romanum tutores habuit. imbutusque impensius Græcis stu- 5
diis, ingenio eius sic ad ea declinante ut a nonnullis Græcu- 2
lus diceretur, quintodecimo anno ad patriam rediit ac sta-
tim militiam iniit, uenando usque ad reprehensionem studio-
sus. quare a Traiano abductus a patria et pro filio habitus 2
nec multo post decemuir litibus iudicandis datus atque inde
tribunus secundæ Adiutricis legionis creatus. post hoc in in- 3
feriorem Moesiam translatus extremis iam Domitiani tem-
poribus. ibi a mathematico quodam de futuro imperio id di- 4
citur conperisse quod a patruo magno Aelio Hadriano peri-
tia cælestium callente prædictum esse compererat. Traiano 5
a Nerua adoptato ad gratulationem exercitus missus in Ger-
maniam superiorem translatus est. ex qua festinans ad Tra- 6
ianum ut primus nuntiaret excessum Neruæ a Seruiano, so-
roris uiro, qui et sumptibus et ære alieno eius prodito Tra-
iani odium in eum mouit, diu detentus fractoque consulte
uehiculo tardatus, pedibus iter faciens eiusdem Seruiani be-
neficiarium anteuenit. fuitque in amore Traiani nec tamen 7
per pædagogos puerorum, quos Traianus impensius diligebat,

8 Gallo fauente.... defuit. quo quidem tempore cum sollicitus
de imperatoris erga se iudicio, Vergilianas sortes consuleret,

> quis procul ille autem ramis insignis oliuæ
> sacra ferens? nosco crines incanaque menta
> regis Romani primam qui legibus urbem
> fundabit, Curibus paruis et paupere terra
> missus in imperium magnum cui deinde subibit,

sors excidit, quam alii ex Sibyllinis uersibus ei prouenisse
9 dixerunt. habuit autem præsumptionem imperii mox futuri
ex fano quoque Niceforii Iouis manante responso, quod A-
10 pollonius Syrus Platonicus libris suis indidit. denique statim
suffragante Sura ad amicitiam Traiani pleniorem rediit nepte
per sororem Traiani uxore accepta, fauente Plotina, Traiano
leuiter, ut Marius Maximus dicit, uolente.
**3** quæsturam gessit Traiano quater et Articuleio consuli-
bus. in qua cum orationem imperatoris in senatu agrestius
pronuntians risus esset, usque ad summam peritiam et fa-
2 cundiam Latinis operam dedit. post quæsturam acta sena-
tus curauit atque ad bellum Dacicum Traianum familiarius
3 prosecutus est; quando quidem et indulsisse uino se dicit
Traiani moribus obsequentem atque ob hoc se a Traiano lo-
4 cupletissime muneratum. tribunus plebis factus est Candido
5 et Quadrato iterum consulibus. in quo magistratu ad per-
petuam tribuniciam potestatem omen sibi factum adserit quod
pænulas amiserit quibus uti tribuni plebis pluuiæ tempore
solebant, imperatores autem numquam. unde hodieque im-
6 peratores sine pænulis a togatis uidentur. secunda expedi-
tione Dacica Traianus eum primæ legioni Mineruiæ præpo-
suit secumque duxit; quando quidem multa egregia eius fa-
7 cta claruerunt. quare adamante gemma quam Traianus a
Nerua acceperat donatus ad spem successionis erectus est.
8 prætor factus est sub Surano bis Seruiano [iterum] consulibus,
cum sestertium uicies ad ludos edendos a Traiano accepit.
9 legatus postea prætorius in Pannoniam inferiorem missus
Sarmatas compressit, disciplinam militarem tenuit, procura-
10 tores latius euagantes coercuit. ob hoc consul est factus.
in quo magistratu ut a Sura comperit adoptandum se a Tra-
11 iano esse, ab amicis Traiani contempni desiit ac neglegi. et
defuncto quidem Sura Traiani ei familiaritas creuit causa
**4** præcipue orationum quas pro imperatore dictauerat. usus
Plotinæ quoque fauore, cuius studio etiam legatus expeditio-

nis Parthicæ tempore destinatus est. qua quidem tempestate 2
utebatur Hadrianus amicitia Sosii Papi et Platorii Nepotis
ex senatorio ordine, ex equestri autem Attiani tutoris quon-
dam sui et Liuiani Turbonis. in adoptionis sponsionem ue- 3
nit Palma et Celso inimicis semper suis et quos postea ipse
insecutus est in suspicionem adfectæ tyrannidis lapsis. se- 4
cundo consul fauore Plotinæ factus totam præsumptionem a-
doptionis emeruit. corrupisse eum Traiani libertos, curasse 5
delicatos eosdemque sæpe lisse per ea tempora quibus in
aula familiariorum fuit opinio multa firmauit. quinto iduum 6
Augusti die legatus Syriæ litteras adoptionis accepit; quando
et natalem adoptionis celebrari iussit. tertio iduum earun- 7
dem quando et natalem imperii statuit celebrandum excessus
ei Traiani nuntiatus est.

frequens sane opinio fuit, Traiano id animi fuisse ut 8
Neratium Priscum, non Hadrianum successorem relinqueret,
multis amicis in hoc consentientibus usque eo ut Prisco ali-
quando dixerit 'commendo tibi prouincias, si quid mihi fa-
tale contigerit.' et multi quidem dicunt Traianum in animo 9
id habuisse ut exemplo Alexandri Macedonis sine certo suc-
cessore moreretur, multi ad senatum eum orationem uoluisse
mittere petiturum, ut, si quid ei euenisset, principem Ro-
manæ rei publicæ senatus daret, additis dum taxat nomini-
bus, ex quibus optimum idem senatus eligeret. nec desunt 10
qui factione Plotinæ mortuo iam Traiano Hadrianum in ado-
ptionem adscitum esse prodiderint supposito qui pro Traiano
fessa uoce loqueretur.

adeptus imperium ad priscum se statim morem insti- 5
tuit et tenendæ per orbem terrarum paci operam intendit.
nam deficientibus his nationibus quas Traianus subegerat 2
Mauri lacessebant, Sarmatæ bellum inferebant, Britanni te-
neri sub Romana dicione non poterant, Aegyptus seditioni-
bus urgebatur, Libya denique ac Palæstina rebelles animos
efferebant. quare omnia trans Eufraten ac Tigrim reliquit 3
exemplo, ut dicebat, Catonis qui Macedonas liberos pronun-
tiauit quia tueri non poterant. Sarmatosirin quem Traianus 4
Parthis regem fecerat, quod eum non magni ponderis apud
Parthos uideret, proximis gentibus dedit regem.

tantum autem statim clementiæ studium habuit ut, cum 5
sub primis imperii diebus ab Attiano per epistolas esset ad-
monitus ut et Bæbius Macer præfectus urbis, si reniteretur

eius imperio, necaretur et Laberius Maximus qui suspectus
imperio in insula exulabat, et Frugi Crassus, neminem læ-
6 deret; quamuis Crassum postea procurator egressum insula,
7 quasi res nouas moliretur, iniussu eius occiderit. militibus
8 ob auspicia imperii duplicem largitionem dedit, Lusium Qui-
etum sublatis gentibus Mauris quos regebat, quia suspectus
imperio fuerat, exarmauit Marcio Turbone Iudæis compres-
9 sis ad deprimendum tumultum Mauretaniæ destinato. post
hæc Antiochia digressus est ad inspiciendas reliquias Tra-
10 iani, quas Attianus Plotina et Matidia deferebant. quibus
exceptis et naui Romam dimissis ipse Antiochiam regressus
præpositoque Syriæ Catilio Seuero per Illyricum Romam
uenit.

**6** Traiano diuinos honores datis ad senatum et quidem
accuratissimis litteris postulauit et cunctis uolentibus meruit,
ita ut senatus multa quæ Hadrianus non postulauerat in ho-
2 norem Traiani sponte decerneret. cum ad senatum scriberet
ueniam petiit, quod de imperio suo iudicium senatui non
dedisset, salutatus scilicet præpropere a militibus imperator,
| 3 quod esse res publica sine imperatore non posset. | cum
triumphum ei senatus, qui Traiano debitus erat, detulisset,
recusauit ipse atque imaginem Traiani curru triumphali ue-
xit, ut optimus imperator ne post mortem quidem triumphi
4 amitteret dignitatem. patris patriæ nomen delatum sibi sta-
tim et iterum postea distulit quod hoc nomen Augustus sero
5 meruisset. aurum coronarium Italiæ remisit, in prouinciis
minuit, et quidem difficultatibus ærarii ambitiose ac diligen-
ter expositis.

6 audito dein tumultu Sarmatarum et Roxolanorum præ-
7 missis exercitibus Moesiam petit. Marcium Turbonem post
Mauretaniæ.... præfecturæ infulis ornatum Pannoniæ Daciæ-
8 que ad tempus præfecit. cum rege Roxolanorum, qui de
inminutis stipendiis querebatur cognito negotio pacem con-
posuit.

**7** Nigrini insidias quas ille sacrificanti Hadriano conscio
sibi Lusio et multis aliis parauerat, cum etiam successorem
2 Hadrianus sibimet destinasset, euasit. quare Palma Tarra-
cinæ Celsus Baiis Nigrinus Fauentiæ Lusius in itinere se-
natu iubente inuito Hadriano, ut ipse in uita sua dicit, oc-
3 cisi sunt. unde statim Hadrianus ad refellendam tristissi-
mam de se opinionem, quod occidi passus esset uno tem-

pore quattuor consulares, Romam uenit Dacia Turboni cre-
dita titulo Aegyptiacæ præfecturæ quo plus auctoritatis ha-
beret ornato. et ad comprimendam de se famam congiarium
duplex præsens populo dedit ternis iam per singulos aureis
se absente diuisis. in senatu quoque excusatis quæ facta e- 4
rant iurauit se numquam senatorem nisi ex senatus senten-
tia puniturum. statim cursum fiscalem instituit ne magistra- 5
tus hoc onere grauarentur. ad colligendam autem gratiam 6
nihil prætermittens infinitam pecuniam quæ fisco debebatur
priuatis debitoribus in urbe atque Italia, in prouinciis uero
etiam ex reliquis ingentes summas remisit, syngrafis in foro
diui Traiani, quo magis securitas omnibus roboraretur, in-
censis. damnatorum bona in fiscum priuatum redigi uetuit 7
omni summa in ærario publico recepta. pueris ac puellis 8
quibus etiam Traianus alimenta detulerat incrementum libe-
ralitatis adiecit. senatoribus, qui non uitio suo decoxerant 9
patrimonium, pro liberorum modo senatoriæ professionis ex-
pleuit, ita ut plerisque in diem uitæ suæ dimensum sine
dilatione præstiterit. ad honores explendos non solum ami- 10
cis sed etiam passim aliquantis multa largitus est. feminas 11
nonnullas ad sustentandam uitam sumptibus iuuit. gladia- 12
torium munus per sex dies continuos exhibuit et mille feras
natali suo edidit.

optimos quosque de senatu in contubernium imperatoriæ 8
maiestatis adsciuit. ludos circenses præter natalicios decre- 2
tos sibi spreuit et in contione et in senatu sæpe dixit ita 3
se rem publicam gesturum ut sciret populi rem esse non
propriam. tertio consules cum ipse ter fuisset plurimos fe- 4
cit, infinitos autem secundi consulatus honore cumulauit. ip- 5
sum autem tertium consulatum et quattuor mensibus tan-
tum egit et in eo sæpe ius dixit. senatui legitimo cum in 6
urbe uel iuxta urbem esset semper interfuit. senatus fasti- 7
gium in tantum extulit difficile faciens senatores ut, cum
Attianum ex præfecto prætorii ornamentis consularibus præ-
ditum faceret senatorem, nihil se amplius habere quod in
eum conferri posset ostenderit. equites Romanos nec sine 8
se de senatoribus nec secum iudicare permisit. erat enim 9
tunc mos ut, cum princeps causas cognosceret et senatores
et equites Romanos in consilium uocaret, sententiam ex om-
nium deliberatione proferret. execratus est denique princi- 10
pes qui minus senatoribus detulissent. Seruiano sororis uiro, 11

cui tantum detulit ut ei uenienti de cubiculo semper occur-
rerit, tertium consulatum nec secum tamen, cum ille bis
ante Hadrianum fuisset, ne esset secundæ sententiæ, non
petenti ac sine precatione concessit.
**9** inter hæc tamen et multas prouincias a Traiano adqui-
sitas reliquit et theatrum quod ille in campo Martio posue-
2 rat contra omnium uota destruxit. et hæc quidem eo tri-
stiora uidebantur, quod omnia quæ displicere uidisset Ha-
drianus mandata sibi ut faceret secreto a Traiano esse si-
3 mulabat. cum Attiani præfecti sui et quondam tutoris po-
tentiam ferre non posset, nisus est eum obtruncare; sed re-
uocatus est quia iam consularium quattuor occisorum, quo-
rum quidem necem in Attiani consilia refundebat, inuidia
4 premebatur. cui cum successorem dare non posset quia
non petebat, id egit ut peteret, atque ubi primum petiit,
5 in Turbonem transtulit potestatem, cum quidem etiam Si-
mili alteri præfecto Septicium Clarum successorem dedit.
6 summotis his a præfectura quibus debebat imperium Cam-
paniam petiit eiusque omnia oppida beneficiis et liberalita-
tibus subleuauit optimum quemque amicitiis suis iungens.
7 Romæ uero prætorum et consulum officia frequentauit, con-
uiuiis amicorum interfuit. *amicos*, ægros bis ac ter die et
nonnullos equites Romanos ac libertinos uisitauit, solatiis
refouit, consiliis subleuauit, conuiuiis suis semper adhibuit:
8 omnia denique ad priuati hominis modum fecit. socrui suæ
9 honores præcipuos inpendit ludis gladiatoriis ceterisque of-
ficiis.
**10** post hæc profectus in Gallias omnes eas uariis liberali-
2 tatibus subleuauit. inde in Germaniam transiit pacisque ma-
gis quam belli cupidus militem quasi bellum inmineret exer-
cuit tolerantiæ documentis eum inbuens, ipse quoque inter
manipula uitam militarem magistrans, cibis etiam castrensi-
bus in propatulo libenter utens, hoc est larido caseo et po-
sca, exemplo Scipionis Aemiliani et Metelli et auctoris sui
Traiani multos præmiis, nonnullos honoribus donans, ut ferre
3 possent ea quæ asperius iubebat. siquidem ipse post Cæsa-
rem Octauianum labantem disciplinam incuria superiorum
principum retinuit ordinatis et officiis et inpendiis, num-
quam passus aliquem a castris iniuste abesse, cum tribunos
4 non fauor militum sed iustitia commendaret, exemplo etiam
uirtutis suæ ceteros adhortatus, cum etiam uicena milia pe-

dibus armatus ambularet, triclinia de castris et porticus et
cryptas et topia dirueret, uestem humillimam frequenter ac-
ciperet, sine auro balteum sumeret, sine gemmis fibula strin- 5
geretur, capulo uix eburneo spatham clauderet, ægros mili- 6
tes in hospitiis suis uideret, locum castris caperet, nulli ui-
tem nisi robusto et bonæ famæ daret, nec tribunum nisi
plena barba faceret aut eius ætatis quæ prudentia et annis
tribunatus robur impleret, nec pateretur quicquam tribunum 7
a milite accipere, delicata omnia undique summoueret, ar-
ma postremo eorum supellectilemque corrigeret. de militum 8
etiam ætatibus iudicabat, nequis aut minor quam uirtus po-
sceret aut maior quam pateretur humanitas in castris con-
tra morem ueterem uersaretur, agebatque ut sibi semper noti
essent et eorum numerus sciretur.

laborabat præterea ut condita militaria diligenter agno- 11
sceret, reditus quoque prouinciales sollerter explorans, ut,
si alicubi quippiam deessset, expleret. ante omnes tamen
enitebatur, nequid otiosum uel emeret aliquando uel pasceret.

ergo conuersis regimine morum militibus Britanniam petiit. 2
in qua multa correxit murumque per octoginta milia pas-
suum primus duxit qui barbaros Romanosque diuideret. Sep- 3
ticio Claro præfecto prætorii et Suetonio Tranquillo epistu-
larum magistro multisque aliis, quod apud Sabinam uxorem
iniussu eius familiarius se tunc egerant quam reuerentia do-
mus aulicæ postulabat, successores dedit, uxorem etiam ut
morosam et asperam dimissurus, ut ipse dicebat, si priua-
tus fuisset. et erat curiosus non solum domus suæ sed e- 4
tiam amicorum, ita ut per frumentarios occulta omnia ex-
ploraret nec aduerterent amici sciri ab imperatore suam ui-
tam, priusquam ipse hoc imperator ostenderet. unde non 5
iniocundum est rem inserere ex qua constet eum de amicis
multa didicisse. nam cum ad quendam scripsisset uxor sua 6
quod uoluptatibus detentus et lauacris ad se redire nollet at-
que hoc Hadrianus per frumentarios cognouisset, petente illo
commeatum Hadrianus ei lauacra et uoluptates exprobrauit.
cui ille 'num et tibi uxor mea quod et mihi scripsit?' et 7
hoc quidem uitiosissimum putant atque huic adiungunt quæ
de adultorum amore ac nuptarum adulteriis quibus Hadria-
nus laborasse dicitur adserunt, iungentes quod ne amicis qui-
dem seruauerit fidem.

**12** conpositis in Britannia rebus transgressus in Galliam
Alexandrina seditione turbatus, quæ nata est ob Apidem
qui cum repertus esset post multos annos turbas inter po-
pulos creauit, apud quem deberet locari omnibus studiose
2 certantibus. per idem tempus in honorem Plotinæ basilicam
3 apud Nemausum opere mirabili extruxit. post hæc Hispa-
nias petiit et Tarracone hiemauit, ubi sumptu suo ædem
4 Augusti restituit. omnibus Hispanis Tarraconem in conuen-
tum uocatis delectumque iculariter, ut uerba ipsa ponit Ma-
rius Maximus, retractantibus Italicis, uehementissime cete-
5 ris prudenter et caute consuluit. quo quidem tempore non
sine gloria grauissimum periculum adiit apud Tarraconem
spatians per uiridiaria, seruo in se hospitis cum gladio fu-
riosius inruente. quem retentum ille ministris adcurrentibus
tradidit et ubi furiosum esse constitit, medicis curandum de-
6 dit in nullo omnino commotus. per ea tempora et alias
frequenter in plurimis locis in quibus barbari non fluminibus
sed limitibus diuiduntur stipitibus magnis in modum muralis
7 sæpis funditus iactis atque conexis barbaros separauit. Ger-
manis regem constituit, motus Maurorum compressit et a
8 senatu supplicationes emeruit. bellum Parthorum per idem
tempus in motu tantum fuit, idque Hadriani conloquio re-
pressum est.

**13** post hæc per Asiam et insulas ad Achaiam nauigauit
et Eleusinia sacra exemplo Herculis Philippique suscepit.
2 multa in Athenienses contulit et pro agonotheta resedit. et
in Achaia quidem etiam illud obseruatum ferunt quod cum
in sacris multi cultros haberent cum Hadriano nullis arma-
3 tus ingressus est. post in Siciliam nauigauit, in qua Aet-
nam montem conscendit ut solis ortum uideret arcus specie,
4 ut dicitur, uarium. inde Romam uenit atque ex ea in A-
fricam transiit ac multum beneficiorum prouinciis Africanis
5 adtribuit. nec quisquam fere principum tantum terrarum
6 tam celeriter peragrauit. denique cum post Africam Romam
redisset, statim ad orientem profectus per Athenas iter
fecit atque opera quæ apud Athenienses coeperat dedicauit,
ut Iouis Olympii ædem et aram sibi, eodemque modo per
7 Asiam iter faciens templa sui nominis consecrauit. deinde
8 a Cappadocibus seruitia castris profutura suscepit. toparchas
et reges ad amicitiam inuitauit, inuitato etiam Osdroe rege
Parthorum remissaque illi filia quam Traianus ceperat ac

promissa sella quæ itidem capta fuerat. cumque ad eum 9
quidam reges uenissent ita cum his egit ut eos pæniteret
qui uenire noluerunt, causa speciatim Farasmanis qui eius
inuitationem superbe neglexerit. et circumiens quidem pro- 10
uincias procuratores et præsides pro factis supplicio adfecit 11
ita seuere ut accusatores per se crederetur inmittere.

Antiochenses inter hæc ita odio habuit ut Syriam a 14
Phoenice separare uoluerit ne tot ciuitatum metropolis An-
tiochia diceretur. mouerunt ea tempestate et Iudæi bellum 2
quod uetabantur mutilare genitalia. sed in monte Casio, cum 3
uidendi solis ortus gratia nocte ascendisset, imbre orto ful-
men decidens hostiam et uictimarium sacrificanti adflauit.
peragrata Arabia Pelusium uenit et Pompei tumulum ma- 4
gnificentius extruxit. Antinoum suum, dum per Nilum na- 5
uigat, perdidit, quem muliebriter fleuit. de quo uaria fa- 6
ma est, aliis eum deuotum pro Hadriano adserentibus, aliis
... quod et forma eius ostentat et nimia uoluptas Hadriani.
et Græci quidem uolente Hadriano eum consecrauerunt, o- 7
racula per eum dari adserentes. quæ Hadrianus ipse con- 8
posuisse iactatur. fuit enim poematum et litterarum [nimium]
studiosissimus, arithmeticæ geometriæ picturæ peritissimus.
iam psallendi et cantandi scientiam præ se ferebat, in uo- 9
luptatibus nimius. nam et de suis dilectis multa uersibus
conposuit. idem armorum peritissimus et rei militaris sci- 10
entissimus gladiatoria quoque arma tractauit. idem seuerus 11
lætus, comis grauis, lasciuus cunctator, tenax liberalis, si-
mulator...., sæuus clemens et semper in omnibus uarius.

amicos ditauit et quidem non petentes, cum petentibus 15
nihil negaret. idem tamen facile de amicis quidquid insu- 2
surrabatur audiuit atque ideo prope cunctos uel amicissimos
uel eos quos summis honoribus euexit postea ut hostium
loco habuit, ut Attianum et Nepotem et Septicium Clarum.
nam Eudæmonem prius conscium imperii ad egestatem per- 3
duxit, Poblicium Marcellum ad mortem uoluntariam co- 4
egit, Heliodorum famosissimis litteris lacessiuit, Titianum, 5
ut conscium tyrannidis, et argui passus est et proscribi, Vm- 6
midium Quadratum et Catilium Seuerum et Turbonem gra- 7
uiter insecutus est, Seruianum sororis uirum nonagesimum 8
iam annum agentem, ne sibi superuiueret, mori coegit. li- 9
bertos denique et nonnullos milites insecutus est. et quam- 10
uis esset oratione et uersu promptissimus et in omnibus ar-

tibus peritissimus, tamen professores omnium artium semper
11 ut doctior risit, contempsit, obtriuit. cum his ipsis profes-
soribus et philosophis libris uel carminibus inuicem editis
12 sæpe certauit. et Fauorinus quidem, cum uerbum eius quondam ab Hadriano reprehensum esset atque ille cessisset, arguentibus amicis quod male cederet Hadriano de uerbo quod idonei auctores usurpassent, risum iucundissimum mo-
13 uit. ait enim 'non recte suadetis, familiares, qui non patimini me illum doctiorem omnibus credere qui habet triginta legiones.'

**16** famæ celebris Hadrianus tam cupidus fuit ut libros uitæ suæ scriptos a se libertis suis litteratis dederit, iubens ut eos suis nominibus publicarent. nam et Phlegontis libri
2 Hadriani esse dicuntur. catachannas libros obscurissimos
3 Antimachum imitando scripsit. Floro poetæ scribenti ad se

ego nolo Cæsar esse,
ambulare per Britannos,
. . . . . . . . . . . . .
Scythicas pati pruinas,

4 rescripsit

ego nolo Florus esse,
ambulare per tabernas,
latitare per popinas,
culices pati rotundos.

5 amauit præterea genus uetustum dicendi. controuersias de-
6 clamauit. Ciceroni Catonem, Vergilio Ennium, Sallustio Coelium prætulit, eademque iactatione de Homero ac Platone
7 iudicauit. mathesin sic scire sibi uisus est ut sero kalendis Ianuariis scripserit quid ei anno toto posset euenire, ita ut eo anno quo periit usque ad illam horam qua est mortuus
8 scripserit quid acturus esset. sed quamuis esset in reprehendendis musicis tragicis comicis, grammaticis rhetoribus oratoribus facilis, tamen omnes professores et honorauit et
9 diuites fecit, licet eos quæstionibus semper agitauerit. et cum ipse auctor esset ut multi ab eo tristes recederent, di-
10 cebat se grauiter ferre siquem tristem uideret. in summa familiaritate Epictetum et Heliodorum philosophos et, ne nominatim de omnibus dicam, grammaticos rhetores musicos, geometras pictores astrologos habuit, præ ceteris, ut
11 multi adserunt, eminente Fauorino. doctores qui professioni

suæ inhabiles uidebantur ditatos honoratosque a professione
dimisit.
quos in priuata uita inimicos habuit imperator tantum 17
neglexit, ita ut uni quem capitalem habuerat factus impera-
tor diceret 'euasisti.' his quos ad militiam ipse per se uo- 2
cauit, equos mulos uestes sumptus et omnem ornatum
semper exhibuit. saturnalicia et sigillaricia frequenter ami- 3
cis inopinantibus misit et ipse ab his libenter accepit et alia
inuicem dedit. ad deprehendendas obsonatorum fraudes, cum 4
plurimis sigmatibus pasceret, fercula de aliis mensis etiam
ultimis quibusque *iussit* adponi. omnes reges muneribus suis 5
uicit. publice frequenter et cum omnibus lauit. ex quo ille 6
iocus balnearis innotuit. nam cum quodam tempore uetera-
num quendam notum sibi in militia, dorsum et ceteram par-
tem corporis uidisset adterere, percontatus cur se marmori-
bus destringendum daret, ubi audiuit hoc idcirco fieri quod
seruum non haberet, et seruis eum donauit et sumptibus.
uerum alia die cum plures senes ad prouocandam liberali- 7
tatem principis parieti se adtererent, euocari eos iussit et
alium ab alio inuicem defricari. fuit et plebis iactantissimus 8
amator. peregrinationis ita cupidus ut omnia quæ legerat de
locis orbis terrarum præsens uellet addiscere. frigora et tem- 9
pestates ita patienter tulit ut numquam caput texerit. re- 10
gibus multis plurimum detulit, a plerisque uero etiam pa-
cem redemit, a nonnullis contemptus est, multis ingentia
dedit munera, sed nulli maiora quam Hiberorum, cui et ele-
phantum et quingenariam cohortem post magnifica dedit do-
na. cum a Farasmane ipse quoque ingentia munia [dono] 11
accepisset atque inter hæc auratas quoque chlamydes, tre-
centos noxios cum auratis chlamydibus in harenam misit ad
eius munera deridenda.
cum iudicaret in consilio habuit non amicos suos aut 18
comites solum, sed iuris consultos et præcipue Iuuentium
Celsum, Saluium Iulianum, Neratium Priscum aliosque, quos
tamen senatus omnis probasset. constituit inter cetera ut in 2
nulla ciuitate domus aliquæ transferendæ ad aliam urbem
ullius materiæ causa diruerentur. liberis proscriptorum duo- 3
decimas bonorum concessit. maiestatis crimina non admi- 4
sit. ignotorum hereditates repudiauit nec notorum accepit, 5
si filios haberent. de thesauris ita cauit, ut siquis in suo 6
reperisset, ipse potiretur, siquis in alieno, dimidium domino

daret, siquis in publico, cum fisco æquabiliter partiretur.
7 seruos a dominis occidi uetuit eosque iussit damnari per iu-
8 dices, si digni essent. lenoni et lanistæ seruum uel ancil-
9 lam uendi uetuit causa non præstita. decoctores bonorum
suorum, si suæ auctoritatis essent, catomidiari in amphithe-
10 atro et dimitti iussit. ergastula seruorum et liberorum tu-
11 lit. lauacra pro sexibus separauit. si dominus in domo in-
teremptus esset, non de omnibus seruis quæstionem haberi
sed de his qui per uicinitatem poterant sentire præcepit.

**19** in Etruria præturam imperator egit. per Latina oppida
dictator et ædilis et duumuir fuit, apud Neapolim demar-
chus, in patria sua quinquennalis et item Hadriæ quinquen-
2 nalis, quasi in alia patria, et Athenis archon fuit. in om-
nibus pæne urbibus et aliquid ædificauit et ludos edidit.
3 Athenis mille ferarum uenationem in studio exhibuit. ab
4 urbe Roma numquam ullum uenatorem aut scænicum auo-
5 cauit. Romæ post ceteras inmensissimas uoluptates in ho-
norem socrus suæ aromatica populo donauit, in honorem
Traiani balsama et crocum per gradus theatri fluere iussit.
6 fabulas omnis generis more antiquo in theatro dedit. hi-
7 striones aulicos publicauit. in circo multas feras et sæpe
8 centum leones interfecit. militares pyrrichas populo frequen-
9 ter exhibuit. gladiatores frequenter spectauit. cum opera
ubique infinita fecisset, numquam ipse nisi in Traiani patris
10 templo nomen suum scripsit. Romæ instaurauit pantheum,
sæpta, basilicam Neptuni, sacras ædes plurimas, forum Au-
gusti, lauacrum Agrippæ; eaque omnia propriis et ueterum
11 nominibus consecrauit. fecit et sui nominis pontem et se-
12 pulchrum iuxta Tiberim et ædem Bonæ Deæ. transtulit et
colossum stantem atque suspensum per Decrianum architec-
tum de eo loco in quo nunc templum Vrbis est ingenti
molimine, ita ut operi etiam elephantos uiginti quattuor
13 exhiberet. et cum hoc simulacrum post Neronis uultum,
cui antea dicatum fuerat, Soli consecrasset, aliud tale Apol-
lodoro architecto auctore facere Lunæ molitus est.

**20** in conloquiis etiam humillimorum ciuilissimus fuit de-
testans eos, qui sibi hanc uoluptatem humanitatis quasi ser-
2 uantes fastigium principis inuiderent. apud Alexandriam in
Musio multas quæstiones professoribus proposuit et propo-
3 sitas ipse dissoluit. Marius Maximus dicit eum natura cru-
4 delem fuisse et idcirco multa pie fecisse, quod timeret ne

sibi idem quod Domitiano accidit eueniret. et cum titulos 4
in operibus non amaret, multas ciuitates Hadrianopoles ap-
pellauit, ut ipsam Karthaginem et Athenarum partem. a- 5
quarum ductus etiam infinitos hoc nomine nuncupauit. fi- 6
sci aduocatum primus instituit. fuit memoriæ ingentis, fa- 7
cultatis inmensæ nam ipse et orationes dictauit et ad om-
nia respondit. ioca eius plurima extant. nam fuit etiam 8
dicaculus. unde illud quoque innotuit, quod cum cuidam
canescenti quiddam negasset, eidem iterum petenti, sed in-
fecto capite, respondit 'iam hoc patri tuo negaui.' nomina 9
plurimis sine nomenclatore reddidit, quæ semel et congesta
simul audiuerat, ut nomenclatores sæpius errantes emendarit.
dixit et ueteranorum nomina quos aliquando dimiserat. li- 10
bros statim lectos, et ignotos quidem, plurimis memoriter
reddidit. uno tempore scripsit, dictauit, audiuit et cum a- 11
micis fabulatus est [si potest credi]. omnes publicas ratio-
nes ita complexus est, ut domum priuatam quiuis paterfami-
lias diligens non satus norit. equos et canes sic amauit ut 12
eis sepulchra constitueret. oppidum Hadrianotheras in quo- 13
dam loco, quod illic et feliciter esset uenatus et ursam occi-
disset aliquando, constituit.

de iudicibus omnibus semper cuncta scrutando tam diu **21**
requisiuit, quam diu uerum inueniret. libertos suos nec sciri 2
uoluit in publico nec aliquid apud se posse, dicto suo omni-
bus superioribus principibus uitia imputans libertorum, dam-
natis omnibus libertis suis, quicumque se de eo iactauerant.
unde extat etiam illud seuere quidem sed prope ioculare de 3
seruis. nam cum quodam tempore seruum suum inter duos
senatores e conspectu ambulare uidisset, misit qui ei cola-
phum daret diceretque cui 'noli inter eos ambulare quorum
esse adhuc potes seruus.' inter cibos unice amauit tetrafar- 4
macum quod erat de fasiano, sumine, perna et crustulo.

fuerunt eius temporibus fames, pestilentia, terræ motus. 5
quæ omnia, quantum potuit, procurauit multisque ciuitatibus
uastatis per ista subuenit. fuit etiam Tiberis inundatio. La- 6
tium multis ciuitatibus dedit. tributa multis remisit. expe- 7
ditiones sub eo graues nullæ fuerunt. bella etiam silentio 8
pæne transacta. a militibus propter curam exercitus nimie 9
multum amatus est, simul quod in eos liberalissimus fuit.
Parthos in amicitia semper habuit, quod inde regem retra- 10
xit quem Traianus inposuerat. Armeniis regem habere per- 11

12 misit, cum sub Traiano legatum habuissent. Mesopotamenos
13 non exegit tributum quod Traianus inposuit. Albanos et
Hiberos amicissimos habuit, quod reges eorum largitionibus
14 prosecutus est cum ad illum uenire contempsissent. reges
Bactrianorum legatos ad eum amicitiæ petendæ causa sup-
plices miserunt.
**22** tutores sæpissime dedit. disciplinam ciuilem non aliter
2 tenuit quam militarem. senatores et equites Romanos sem-
per in publico togatos esse iussit, nisi si a cæna reuerteren-
3 tur. ipse cum in Italia esset semper togatus processit. ad
4 conuiuium uenientes senatores stans excepit semperque aut
5 pallio tectus discubuit aut toga submissa. diligentia iudicis
sumptus conuiuii constituit et ad anticum modum redegit.
6 uehicula cum ingentibus sarcinis urbem ingredi prohibuit.
7 sederi equos in ciuitatibus non siuit. ante octauam horam
8 in publico neminem nisi ægrum lauari passus est. ab epi-
9 stulis et a libellis primus equites Romanos habuit. eos
quos pauperes et innocentes uidit, sponte ditauit, quos uero
10 calliditate ditatos, etiam odio habuit. sacra Romana dili-
11 gentissime curauit, peregrina contempsit. pontificis maximi
officium peregit. causas Romæ atque in prouinciis frequen-
ter audiuit, adhibitis in consilio suo consulibus atque præ-
12 toribus et optimis senatoribus. Fucinum lacum emisit.
13 quattuor consulares per omnem Italiam iudices constituit.
14 quando in Africam uenit, ad aduentum eius post quinquen-
nium pluit atque ideo ab Africanis dilectus est.
**23** peragratis sane omnibus orbis partibus capite nudo et
in summis plerumque imbribus atque frigoribus, in morbum
2 incidit letalem. factusque de successore sollicitus primum
de Seruiano cogitauit, quem postea, ut diximus, mori coe-
3 git. Fuscum, quod imperium præsagiis et ostentis agitatus
4 speraret, in summa detestatione habuit. Platorium Nepo-
tem, quem tantopere ante dilexit ut ueniens ad eum ægro-
tantem Hadrianus inpune non admitteretur, suspicionibus ad-
5 ductus, eodem modo et Terentium Gentianum, et hunc ue-
6 hementius quod a senatu diligi tunc uidebat, omnes postre-
mo de quorum imperio cogitauit quasi futuros imperatores
7 detestatus est. et omnem quidem uim crudelitatis ingenitæ
usque eo repressit, donec in uilla Tiburtina profluuio san-
8 guinis pæne ad exitum uenit. tunc libere Seruianum quasi
affectatorem imperii quod seruis regiis cænam misisset, quod

in sedili regio iuxta lectum posito sedisset, quod erectus ad
stationes militum senex nonagenarius processisset, mori coe-
git; multis aliis interfectis uel aperte uel per insidias, quan- 9
doquidem etiam Sabina uxor non sine fabula ueneni dati ab
Hadriano defuncta est. tunc Ceionium Commodum Nigrini 10
generum insidiatoris quondam sibi forma commendatum
adoptare constituit. adoptauit ergo Ceionium Commodum 11
Verum inuitis omnibus eumque Aelium Verum Cæsarem
appellauit. ob cuius adoptionem ludos circenses dedit et 12
donatiuum populo ac militibus expendit. quem prætura ho- 13
norauit ac statim Pannoniis inposuit decreto consulatu cum
sumptibus. eundem Commodum secundo consulem designa-
uit. quem cum minus sanum uideret, sæpissime dictitauit 14
'in caducum parietem nos inclinauimus et perdidimus quater
milies sestertium quod populo et militibus pro adoptione
Commodi dedimus.' Commodus autem præ ualetudine ne 15
gratias quidem in senatu agere potuit Hadriano de adoptione.
denique accepto largius antidoto ingrauescente ualitudine per 16
somnum periit ipsis kalendis Ianuariis. quare ab Hadriano
uotorum causa lugeri est uetitus.

sed mortuo Aelio Vero Cæsare Hadrianus ingruente tri- **24**
stissima ualetudine adoptauit Arrium Antoninum qui postea
Pius dictus est, et ea quidem lege, ut ille sibi duos adopta-
ret Annium Verum et Marcum Antoninum. hi sunt qui po- 2
stea duo pariter Augusti primi rem publicam gubernauerunt.
et Antoninus quidem Pius idcirco appellatus dicitur, quod 3
socerum fessum ætate manu subleuaret. quamuis alii cogno- 4
mentum hoc ei dicant inditum quod multos senatores Ha-
driano iam sæuienti abripuisset, alii quod ipsi Hadriano ma- 5
gnos honores post mortem detulisset. Antonini adoptionem 6
plurimi tunc factam esse doluerunt, speciatim Catilius Seue-
rus præfectus urbi, qui sibi præparabat imperium. qua re 7
prodita successore accepto dignitate priuatus est. Hadrianus 8
autem ultimo uitæ tædio iam adfectus gladio se transfigi a
seruo iussit. quod cum esset proditum et in Antonini usque 9
notitiam uenisset, ingressis ad se præfectis et filio roganti-
busque ut æquo animo necessitatem morbi ferret, iratus il-
lis auctorem proditionis iussit occidi. qui tamen ab Anto- 10
nino seruatus est dicente [Antonino] parricidam se futurum,
si Hadrianum adoptatus ipse pateretur occidi. statimque te- 11
stamentum scripsit, nec tamen actus reipublicæ prætermisit.

12 et post testamentum quidem iterum se est conatus occidere.
subtracto pugione sæuior factus petiit et uenenum a medico,
13 qui se ipse ne daret occidit.
**25** ea tempestate superuenit quædam mulier quæ diceret
somnio se monitam ut insinuaret Hadriano ne se occideret,
quod esset bene ualiturus. quod cum non fecisset est cæ-
cata. iussa tamen iterum Hadriano eadem dicere ad ge-
2 nua eius, oculos receptura si id fecisset. quod cum insom-
nium implesset oculos recepit, cum aqua quæ in fano erat
3 ex quo uenerat oculos abluisset. uenit et de Pannonia qui-
dam [uetus] cæcus ad febrientem Hadrianum eumque con-
4 tigit. quo facto et ipse oculos recepit et Hadrianum febris
reliquit. quamuis Marius Maximus hæc per simulationem
5 facta commemoret. post hæc Hadrianus Baias petiit Anto-
6 nino Romæ ad imperandum relicto. ubi cum nihil profi-
ceret arcessito Antonino in conspectu eius apud ipsas Baias
7 periit die VI iduum Iuliarum. inuisusque omnibus sepul-
8 tus est in uilla Ciceroniana Puteolis. sub ipso mortis tem-
pore et Seruianum nonaginta annos agentem, ut supra dictum
est, ne sibi superuiueret atque, ut putabat, imperaret, mori
coegit. et ob leues offensas plurimos iussit occidi, quos An-
9 toninus reseruauit. et moriens quidem hos uersus fecisse
dicitur

animula uagula blandula
hospes comesque corporis,
quæ nunc abibis in loca
pallidula rigida nudula;
nec, ut soles, dabis iocos?

10 tales autem nec multo meliores fecit et Græcos.
**26** uixit annis LXII mensibus V diebus XVII. impera-
uit annis XX mensibus XI. statura fuit procerus, forma
comptus, flexo ad pectinem capillo, promissa barba, ut uul-
nera quæ in facie naturalia erant tegeret, habitudine robusta.
2 equitauit ambulauitque plurimum armisque et pilo se semper
3 exercuit. uenatus frequentissime leonem manu sua occidit.
uenando autem iugulum et costam fregit. uenationem sem-
4 per cum amicis participauit. in conuiuio tragoedias comoe-
dias Atellanas, sambucas lectores poetas pro re semper ex-
5 hibuit. Tiburtinam uillam mire exædificauit, ita ut in ea
et prouinciarum et locorum celeberrima nomina inscriberet,
uelut Lycium Academian Prytanium, Canopum Picilen

Tempe uocaret. et ut nihil prætermitteret etiam inferos fin-
xit. signa mortis hæc habuit. natali suo ultimo, cum An- 6
toninum commendaret, prætexta sponte delapsa caput ei a-
peruit. anulus, in quo imago ipsius sculpta erat, sponte de 7
digito delapsus est. ante diem natalis eius nescio qui ad se- 8
natum ululans uenit. contra quem Hadrianus ita motus est,
quasi de sua morte loqueretur, cum eius uerba nullos agno-
sceret. idem cum uellet in senatu dicere 'post filii mei mor- 9
tem', 'post meam' dixit. somniauit præterea se a patre po- 10
tionem soporiferam inpetrasse. item somniauit a leone se op-
pressum esse.

in mortuum eum a multis multa sunt dicta. acta eius 27
inrita fieri senatus uolebat. nec appellatus esset diuus, nisi 2
Antoninus rogasset. templum denique ei pro sepulchro apud 3
Puteolos constituit et quinquennale certamen et flamines et
sodales et multa alia quæ ad honorem quasi numinis perti-
nerent. qua re, ut supra dictum est, multi putant Antoni- 4
num Pium dictum.

## Varietas librorum Bambergensis et Palatini. accedunt nonnullæ doctorum uirorum coniecturæ.

*notarum hæc est explicatio, ut sit B Codex Bambergensis, P Palatinus, b et p emendatrices eorum manus. numerorum uero qui ante lectionem codicum positi sunt, prior paginas contextus indicat, alter ad seriem linearum cuiusque paginæ pertinet.*

3, *in rubr.* spartiani de uita hadriani *BP* (adriani *B*) ad diocletianum augustum *add. p* 3, 1. uetuscior *B* 3, 2. hadria hortos *B* (*Iordan*) /// ortos *BP* (h *eras.*) hadrianus ortus *b* (*Peter*) 3, 3. itali//am *P* 3, 4. commemoret *B* commemorat *b* (a *in ras*) *teste Petero, cui credere omnibus locis non ausim, quum præsertim nimia sæpe subtilitate diuersas manus discernere uideatur.* 3, 7. attauus *B* marullinus *emend. Salmas.* maryllinus *BP* 3, 11. tunc *P* uirum *p* 3, 12. celium tacianum *B* cælium tatianum *P emendauit Salmasius.* 3, 13. grecis *B. quod mendum, quum sæpissime in omnibus ueterum script. codicibus inueniatur, non amplius indicabimus.* 3, 14. redit *BP*, *ut fere semper, pro* rediit 3, 16. uenandi *correx. Salmas. sed confer Plaut. mil. glorios. u. 801.* usque ad præhensionem *B* uenando us ///// prehensionem *integer P teste Grutero habet spatiumque uacuum inter* us *et* prehensionem *literarum quinque; quod deinde recenti calamo suppletum est factumque* uenando usque ad reprehensionem studiosus 3, 17. troiano *B* (*Peter*) trolano *B* (*Iord.*) 3, 18. indicandis *B* 3, 19. hec *P* 3, 20. domitianis *B* (*Iord.*) *BP* (*Peter*). 3, 24. in *add. p* ad gratulationem, exercitus missu in G. super. transl. e. *emendauit Scaliger,* 3, 28. fracto *P* (*Iord.*) 3, 29. ueneficiarum *B* ueneficiarium *b* ueneficia////// *P emend. Casaub.* 3, 30. ei *post* tamen *hab. P* 4, 1. *locus corruptus. Casaub. coniecit* Gallo faciente inuidia defuit, *Salmas.* super *pro* per *scribens* ita *explicauit, ut esset Gallus super pædagogos. Peterus Gruterum* malefauentia *coniecisse contendit. de qua re ipse Grut. sic: hariolabar aliquando cet.* 4, 2. uirgilianas *p* 4, 6. fundauit *BP emend. Casaub.* 4, 8. sybillinis *BP* 4, 11. priuatim *pro* statim *mira emendatione scripsit Peter et in exerc. crit. et in editione.* 4, 14. dt̃ *B* (t̃ *in ras.*)

dicit *P* (it *in ras.*) *Peter.* 4, 15. ar//iculeio *P* (t *eras.*) *Peter.* arculeio *p Iord.* 4, 19. dac///m *P* dacicum *p* 4, 20. quanto *BP* 4, 28. //eum *B* (*Pet.*) 4, 32. *fortasse* Suburano bis et Seruiano conss. *Dodwell præl. camden. p. 431* iterum *deleuit* (*cfr. Orelli 2448 et indicem Henzenii*). *quamquam fieri potest, ut errore ductus Spartianus ipse ita scripserit.* 4, 33. *ante* uicies *BP habent* iterum, *quod cum Mommseno delendum esse censeo.* 4, 36. cohercuit *B* 4, 37. et *BP emend. Egnatius* ut *in marg. p* (*Iord.*) 4, 39. definito *B* defūto *P* cre//uit *B* (u *aut* a *eras*) *P* (b *eras.*) *Pet.* 5, 2. pletori *BP* 5, 3. sequestri *BP* (*Iord.*) 5, 6. adiecte *B* adiectæ *P correx. Salmas.* 5, 5. conss. *post* celso *excidisse* nescio qua de causa *putat Fr. Richter Rhein. Mus. 1850 p. 16 sqq.* 5, 9. sepelisse *BP corr. Casaub.* sæpe leuisse *Salmas.* 5, 10. familiarior *P* (*Iord.*) quintum *BP* 5, 12. tertium *BP.* 5, 22. titurum *BP* dicturum *b* petiturum *p.* 5, 27, loquebatur *B* loqueretur *P* (re *in ras*) 5, 29. impendit *P* 5, 33. licya *BP* libya *Casaub.* 5, 34. afferebant *BP emend. Vrsinus* (*Pet.*) *B* (*Iord.*) 5, 35. dicebant *BP* 5, 36. Parthamosirin *Casaub.* 5, 39. dementiæ *B* (*Pet.*) 6, 4. iniusso *BP* 6, 5. duplicem *omis. P add. p* 6, 7. martio *BP* (*Iord.*) iudæi *P* (*Pet.*) 6, 8. mauritaniæ *P* (it *in ras. Pet.*) 6, 9. antiochiam *BP* 6, 12. ylliricum *B* 6, 14. dari a senatu *p in ras., sed extant uestigia ueræ scripturæ, quam etiam in margine adscripsit p* 6, 22. t curru *B ante corr.* (*Pet.*) 6, 24. sibi delatum *B* 6, 29. rex alanorum *B* regis alanorum *P* (*in ras.*) Roxolanorum *Casaub. et Iord.* Roxalanorum *Peter coll. Plin. H. N. IIII 80.* 6, 31. mauretaneæ *B* mauritaniæ *P* (*superscr.*) *post eam uocem* administrationem *excidisse putat Mommsenus; iungendum enim esse præfecturæ infulis censet coll. tit. Maffei Mus. Veron. 242, 4.* Mauritaniam *scripsit Peterus fortasse recte cfr. infra c. XIII 6 cum post Africam Romam redisset.* 6, 32. mox alanorum *B* (*Peter*) *BP* (*Iord.*) 6, 35. insidiis *B corr. b.* 6, 37. tarracenis *BP* 6, 38. fauentiis *b* (*Iord.*) fauentie// (s *eras. ut uidetur*) *Pet.* bais *BP* 7, 1. turbone *B* 7, 3. ornatos *BP* ornatus *p* 7, 5. excussatis *BP* excusans *p* 7, 8. honore *pro* hoc onere *BP* (*Peter*) *B* (*Iord.*) 7, 11. reliquiis *BP* (*Pet.*) *B* (*Iord.*) 7, 12. hadriani *BP corr. p* 7, 19. restiterit *BP* restituerit *bp emend. Casaub. quod confirmauit Salmas 'ex fide et auctoritate' uetusti codicis* 7, 20. pessimis *p* 7, 24. optumos *PB* (u *in ras.*) optimos *p* (*Iord.*) 7, 28. coñs *B* cos *P* 7, 34. atutinum *BP* (*Pet.*) atutinum *B* attianum *ex* atticinum *P* (*Iord.*) 7, 38. agnosceret *BP corr. Salmas.* 7, 40. princeps *BP corr. p.* 8, 3. ante *omis. BP, add. p.* ne — sententiæ *insiticia esse putat Salmas.*

non *in ras. p.* 8, 4. p̃catione *B* (*Pet.*) 8, 8. displicerent uidisse *B* (n *transfixa*) displicer/// uidisse *P* uidisset *p* 8, 9. decreto a *B* decreta a *P* decreto *p. emendauit Mommsenus.* 8, 11. nixus *p* 8, 15. petiit *BP* 8, 24. conuiuis *P* (*Iord.*) 8, 22. amicos *cum Eyssenh. addidi cfr. adn. meas. G. Vhligio uisum est, teste Iordano, uerba* et nonnullos —— libertinos *post* subleuauit *transponere.* aut *B* 8, 28. casuariis *BP* causarios *Egnatius. emend. Mommsenus. ad eius uero emendationem confirmandam afferendum esse puto locum Amm. Marcellini XV 11. (Galliæ omnes.)* 8, 31. tollerantiæ *B* eum *omis. B add. b* eos *p.* (*Pet.*) 8, 33. larido. i *expunx. B.* (*Pet.*). 8, 37. octaui//um (an *eras.*) *p* 8, 39. ac//astris *P* 9, 5. hospiciis *BP* al. utrem (*pro* uitem) *suprascr. p.* 9, 8. robor *BP corr. p.* 9, 10. superlectilem *BP* (r *eras. P*) 9, 14. esse (*corr. b*) et eorum *B* essent et eorum *in ras P. corr. p, ita ut* eorum *in marg. euagetur.* 9, 15. condicta *bP* 9, 17. si *suprascr. BP* alicui *B prima manus* 9, 18. nequod uel otiosum uel *P* nequid miles cet. *p* (*Iord.*) 9, 19. regio more *BP* regimine morum *scripsi, quo sententiam, si nihil aliud, huius loci expressum uolui.* 9, 24. uniussueius *B corr. p* 9, 26. murosam *B* dimisurus *B* 9, 28. oculta *P* 9, 31. quo *BP corr. b.* 9, 33. labacris *B* (*Pet.*) *BP ante corr. Iord.* 9, 36. exprobrabit *B* 9, 38. adulterorum *b* 10, 6. exstruxit *B* (*Iord.*) 10, 7. eadem *BP* 10, 8. tarraconam *B* tarraconē (ē *in ras*) *P* 10, 9. dilectumque *BP* 10, 11. et *omis B add. b* (*Pet.*) 10, 13. uirdiaria *P corr. p.* hospitiua uiridaria *editiones ante Salmas.* seruio — inruentem *B* (*Iord.*). foriosum *B* 10, 23. rp̃ssum est 10, 24. post hæc *B* post hęc *P Eyssenh. in Herm. I p. 159.* 10, 31. aficam *BP corr. bp.* 10, 24. ne quisquam *BP* 10, 34. tantum celeriter *BP* 10, 39. capadocibus *BP* 10, 40. ostroe *B* osdroe *P* cosdroe *p* 10, 41. remisaque *B* (*Pet.*) 11, 3. causas *B* 11, 4. superne *ante corr. B* 11, 12. dicidens *B ante corr.* (*Pet.*) uictimarum *BP* uictimas *bp* 11, 15. uariam *B ante corr.* (*Pet.*) 11, 17. *censet Casaubonus aliquid hic excidisse, cum quo faciunt F. Richter in Rh. Mus. l. l. et Eyssenh. in editione Scr. H. A. uerborum quæ desunt sensus colligi potest ex Aur. Vict. Cæs. XIV famosum ministerium præstitisse.* 11, 18. consesecrauerunt *B* 11, 19. adrianus *B* (*Pet.*) 11, 24. *quod post* composuit *habent* amatoria carmina scripsit *BP, Casaubonus uncis inclusit, ego deleui.* 11, 27. *post* simulator *aliquid excidisse puto, quum cetera epitheta bina alterum alteri contraria sint. Iordan.* lætus *ab interprete adscriptum censet. Peter. post* simulator *inseruit* uerus 11, 34. *pro* Pobl. Marcellum *BP habent* polænum, *ex quo fecerunt uete-*

*res editores* polyænum. *Zumpt. comm. epigraph. II p. 16 coniec. Publicium Marcellum; quæ coniectura firmatur nouis fragmentis actorum arualium; uide adn. meam ad h. l.* 11, 37. cattilium *B* catalium *P* (*Iord.*) catalium *BP* (*Pet.*) 12, 14. catacannas *B* catachanas *Bernhardy in Ztschr. f. Alterth. W. 1834 n. 141* catachenas *Bergk ibid. 1835 n. 37.* catachannas *Pet. cfr. Fronton. pp. 77 et 244 ed. Francof.* 12, 18. *uersum excidisse censent Iahn in Floro p. XL et O. Mueller de P. Annio Floro poeta p. 34. (Iord. et Pet.).* 12, 19. ruinas *BP ante corr.* 12, 24. calices *p* rutundos *BP ante corr. (Pet.)* 12, 25. amabit *B ante corr.* 12, 26. uirgilio *p.* enium *B* salustio *BP* 12, 29. toto anno *P* 12, 32. rethoribus *BP* 12, 37. elidorum *BP (Pet.)* 12, 38. rethores *BP* 12, 39. astrologas *B* 12, 40. faborino *BP* 13, 10. summatibus *BP* sigmatibus *Bernhardy.* 13, 11. iussit *omis. BP add. p. post hanc uocem fortasse inserendum est* sibi; *uide progr. Bernhardy. et Halm in Philol. 1846 p. 705.* 13, 19. parieti// *B (Iord.)* parietis. *B ante corr. (Pet.)* parieti *P* (eti *in ras.)* 13, 20. al. accuratissimus *adscr. p. (Pet.)* 13, 23. texeret' *BP* tegeret *p* texerit *Mommsen.* 13, 26. qui *BP* 13, 27. quinquagenariam *BP mutau. Casaub.* 13, 28. frasmane *BP* dona *BP* dono *Casaub. Mommsen. uerbum deleuit* 13, 29. clamydes *BP* 13, 30. clamydibus *B* clamymidibus *P* (*Iord.*) *BP* (*Pet.*) 13, 32. consilia *BP* consilio *b.* 13, 34. neracium *BP* 13, 36. tranferende *BP* (*Pet.*) 13, 37. ullis *BP corr. bp.* dirueretur *B* (*Pet.*) 13, 40. si *omis. BP (P ante corr.)* 13, 41. portiretur *BP* partiretur *b* dimidium *bis scripsit P (sed exp.) Iordan.* dimidium domidium *P* (*Pet.*) 14, 3. lonistæ *P ante corr.* (*Pet.*) 14, 5. catamidiari *uulgo*, *quod defendit Hudemann in Philol. 1850 p. 574* 14, 6. *pro* tulit *Mommsen.* ut et 14, 8. non *omis. B ante corr.* (*Pet.*) 14, 11. demarcus *BP* 14, 13. arton *B* arcon *P* 14, 14. lusos *BP* lusus *p* ludos *bp* 14, 16. uenetorem *B* uocauit *P* 14, 22. conto *B* centum *P sed* um *in ras. ut uidetur Pet.* pyrricas *BP* 14, 30. detrianum *B* 14, 37. han *B* han' *P* (*Pet.*) han̄ *BP* (*Iord.*) seruantis *BP* seruantes *scripsi.* 14, 38. immusio (*Iord.*) 15, 3. ethenarum *BP corr. p.* 15, 6. nam ipse et *Iordan.* nam et ipse o. et d. *P* nam ipse o. et d. *B* 15, 9. quidam B (*Pet.*) 15, 11. nomenclatori *BP* cogesta *B* 15, 12. numenclatores *BP* emendauit *BP* 15, 16. si potes credi *BP* 15, 18. satis nouit *BP* satius *C. Wachsmuth et Peter.* satius norit *scripsi.* 15, 27. seuero *BP* seuere *p* seue *b emend. Bernhardy.* 15, 29. collafundaret qui noli *B et ante ras. P* (colla *literæ dispiciuntur et ceteris aptum est spatium.) Iord.* colaphum da-

ret et diceret *p in ras.* diceretque *Mommsen.* 15, 31. amabit *BP* amabat *p* 15, 32. fasiono *BP ante corr.* (*Pet.*) 15, 35. solatium *b* 15, 38. nimiæ *B* nimiā *P* 16, 1. mesopotamenos *B* — is *b* mesopotamiis (iis *in ras. quatuor literarum, quarum ultima* s (mesopotamenses *in cod. Vat. Salmas.*)) 16, 2. exigit *B* (*Pet.*) 16, 5. bactranorum *BP.* 16, 7. tatores *B ante corr.* 16, 12. summissa diligentia iudices *BP corr. Salmas.* summa diligentia in dies *Mommsen.* 16, 13. canticum *B* 16, 20. pontifices 16, 28. lectualem (*interpunctis* c *et* u) *in P* 16, 34. amitteretur *BP* adductus est adductus; et *coni. Iord.* 16, 37. futuro *BP ante corr.* (*Pet.*) 16, 38. ingenitæ *ex* ingenuæ *corr. P.* (*Iord.*) ingenite *B* ingeni//tæ *P Pet.* 16, 41. regis scenam *BP Iord.* scænam *BP Pet.* strenam *coni. Scaliger.* 17, 2. statiores *ante corr. B* 17, 8. ad alium *B* ad *deleu. b* 17, 9. adoptationem *B* 17, 11. consulatus *BP* 17, 16. nec *BP* ne *Iord.* 17, 17. hadria *B ante corr.* (*Pet.*) 17, 18. ingrauiscente *B ante corr.* (*Pet.*) 17, 19. perit *BP corr. b* 17, 21. et *BP* sed *Casaub.* hælio *B* helio *P* 17, 23. et eadem *BP corr. Iordan.* 17, 27. ætatem *B* (*Iord.*) cognomento *BP* 17, 29. alii — detulisset *in marg. infer. P* 17, 31. atilius *BP* 17, 39. sqq. statimque test. scr. nec tamen a. r. prætermisit dicente Antonino cet. *BP transposuit Rob. Bononiensis et deinceps Casaub. Grut. ceteri.* statimque — præterm. *Mommsen. ap. Iord. post* iussit occidi *conlocauit.* 18, 2. *post* factus *BP* est *del. Iord.* petit *BP* 18, 6. es//t cæcata *B* ēē// cæcatam *P* (*Iord.*) esset *BP ante corr.* (*Pet.*) 18, 7. iussam *BP* ad genua eius, oculos receptura *Mommsen.* atque g. e. osculari receptura (uisum *add. p.*, uisum si *add. b.*) *BP* 18, 8. insomnio *BP* 18, 9. aquæ in *BP corr. bp.* 18, 11. frebrientem *BP* 18, 14. adrianus *B* petit *BP* 18, 17. perit *BP* 18, 20. suprauiueret *BP* 18, 27. rigiga *B ante corr.* (*Iord.*) ridiga *B ante corr.* (*Pet.*) 18, 30. LXXII *BP* 18, 31. XXI *BP* 18, 36. al. cossam *suprascr. p.* (*Iord.*) 19, 3. operuit *BP corr. Lipsius ad Tac. Ann. II 14 et Iord.* 19, 4. anulos *B ante corr.* 19, 5. qui //*P* (d *eras.*) *Iord.* 19, 9. a patre *omis. B ante corr.* 19, 12. u multis *B ante corr.* (*Pet.*) *in fin.* uita diui hadriani explicit *BP.*

---

# COMMENTARIUS.

Aelio cuidam Spartiano hunc librum codices tribuunt neque est causa, cur quin ita sit dubitemus. hic uero Spartianus, qui Diocletiani temporibus uixit, quis fuerit, quo loco natus sit, quæ munera gesserit plane nescii sumus, nisi ex uerbis, quæ supra uitam Aelii Veri scripta leguntur *Diocletiano Augusto Aelius Spartianus suus sal.* concludere audeamus eum ex amicis et aulicis Diocletiani fuisse, quum notissimum sit illud *suus* non solum usum familiarem significare, sed etiam ut munus uel magistratum beneficio imperatoris aliquis teneat (M. Aurelius Cæsar consuli suo. Fronto p. 67 ed. Francof. Cæsari suo consul (Fronto) p. 71 ibid. cet. cfr. Casaub. ad loc.). scripsit Spartianus de imperatoribus a Iulio Cæsare usque ad diuum Hadrianum (Ael. Ver. 1), quæ omnia perierunt excepto hoc libro de uita Hadriani. in animo habuit uitas omnium imperatorum et eorum qui Cæsares uocati essent, usque ad sua tempora perscribere; quod propositum utrum peregerit necne, prorsus ignoramus, quum nihil probet, quod multis uitis nomen eius præscriptum est. nec fere alia de re magis uariantur doctorum uirorum sententiæ, quare post tot tantasque disputationes nihil aliud constare mihi uidetur, quam nihil de hac re diiudicari posse, (nisi quod *Schulz* in Zeitschr. f. Gymnas. W. 1865. p. 932 egegrie probauit uerisimile esse uitas Gordianorum atque Maximi et Balbini eidem scriptori tribuendas esse cui Aelii Veri). quare ii quos hæc ut ita dicam sine uictoria certamina delectant, ut penitus ea cognoscant, auctores adeant[1]).

[1]) *Casaub.* in editione.
*Salmas.* in editione.
*Moller* de Aelio Spartiano Altorf. 1687.
*Dodwell.* Præl. Cambdenianæ Oxon. 1692.
*(G. Mascow* Or de usu et præst. Hist. Aug. in iure ciuili. Harderow 1733).
*Püttman* Proleg. ad. Scr. H. A. T. I. p. I editionis.
*Moulines* Mém. sur les écrivains de l'histoire Aug. in Nouv. mém. de l'acad. des scienc. de Berlin 1780 p. 534.
*C. G. Heyne* Censura Sex. Scr. H. A. Gotting. 1803 in Opusc. Acad. VI 52—79.
*Ant. Becker* Obseruationes in Scr. H. A. P. Pr. Vratisl. 1838.
*Dirksen* die Scriptores H. A. cet. Leipzig 1842.
*Bernhardy* Prooemii de Scriptor. H. A. PP. I et II Halæ 1845. 1846.
*F. Richter* in Rhein. Mus. 1850 p. 16 sqq.
*Krause* de fontibus et auctoritat. Scr. H. A. P. I. Neu — Stettin 1857.
*Peter* Historia critica Scr. H. A. Leipzig 1863. 4

iam uero in una re omnes consentiunt, quod genus loquendi Spartiani pessimum esse dicunt. quod quum uerum esse concedam, tamen in ea re ceteris Scr. H. A. eum antecellere puto, quod melius ordinem rerum in narratione seruat. quare non facere possum quin cum Flemmer (de itinerib. et reb. gest. Hadriani Diss. Hauniæ 1874 p. 4.) eum accuratum et fide dignum scriptorem esse censeam. quod iudicium iis, quæ infra dicentur, magis etiam confirmabitur.

---


## Cap. I.

§ 1. *Hispaniensibus.* Hispaniensis ille appellatur, qui in Hispania natus uel habitans, aliunde originem trahit gentis, ut apparet ex Vopisc. Bonos. c. 14. *Bonosus domo Hispaniensi fuit, origine Britannus.* alia uero ratione alio idem scriptor loco hanc adhibet uocem, ut dicat *Hispaniensem astutiam* (Prob. 1) pro eo quod est astutia propria Hispanorum. ad hanc uero latini uerbi similitudinem Græci etiam habent *'Ιταλός* et *'Ιταλιώτης* (cfr. Casaub. ad h. l. et Sturz in ed. Dion. Cass. VI p. 604). sunt autem huiusmodi alia multa et græca et latina. — *Hadria ortos resedisse.* Italicam condidit P. Scipio Aemilianus (Appian. Bell. Hispan. c. 38 p. 275 edit. Stephan.) ad fluvium Boetim militibus qui vulneribus adfecti essent compulsis in unam urbem quæ a patria eorum nomen accepit, municipiumque postea erat, donec ius coloniarum ab Hadriano Italicenses petierunt (Gell. N. A. XV, 3, 4 p. 386 ed. Lion) et appellatur colonia in titulo (Orelli 96), quem quare sibi suspectum esse dicat Orellius, plane nescii sumus. hodieque parietinæ, quæ in eodem loco sunt, ubi ueterem urbem sitam fuisse docti uiri putant, nominantur *Sevilla la vieja;* loca circum iacentia *la Talca* (*Ukert* Geogr. d. Gr. u. Röm. II 1 pag. 372) — *in libris* — — *commemorat.* id. infra c. 16 et Spart. Seuer. c. 20.

§ 2. *Aelius Hadrianus cognomento Afer,* senator PO. RO. prætorius (cfr. Dio Cass. LXIX c. 3 Suidas v. *'Αδριανός* ed. Gaisford. Orelli 804, ubi hospes quidam eius commemoratur). — *consobrinus Traiani imperatoris.* consobrinus pro eo quod est consobrini filius, cuius usus inuenitur aliud exemplum infra § 10.

iam uero hoc loco stemma proferemus, quo numorum maxime et titulorum auctoritate plenius et perfectius, quam antehac factum est, perficiemus, ut quomodo Traianus Hadriano cognatus fuerit, clarissime demonstremus. neque enim qui in hac re antea elaborarunt (uide ex. gr. *Clinton* Fasti Romani II p. 18. *Merivale*

Hist. of the Romans u. the Emp. VII p. 404) errores euitarunt neque omnia quæ de his rebus a doctis uiris disputata sunt satis cognita habuerunt. est autem tale stemma:




primum igitur nomen auo quoque paterno Imp. Traiani Traiano, auiæ paternæ Vlpiæ fuisse, simillimum ueri ex eo èst, quod habet Aurelius Victor Epitomator in epit. XIII. *Vlpius Traianus* — — *Vlpius ab auo dictus*, *Traianus a Traio paterni generis auctore vel de nomine Traiani patris sic appellatus.* sed quum constet patrem imperatoris Traiani Vlpium Traianum et ipsum uocatum esse, (*Eckhel* Doctrina. numor. uet. VI p. 435) apparet ipsum imperatorem neque ab auo paterno neque a materno hoc nomen accepisse. quamobrem aut in loco Victoris laudato leui correctione scribendum est *ab auia*, quum præsertim his temporibus nomen maternum recipere solitum esset, aut hic quoque ut alias sæpissime scriptor minime adcuratus errauit. de auo autem paterno quominus aui uerbum accipiamus id prohibet, quod *auo* uerbo *paterni* opponatur.

errat Merivale l. l. quum 'Hadrianum' Marullinum auum esse contendit imperatoris, quod eo magis mirum uidetur, quod mendum a primis Scriptorum Historiæ Augustæ editoribus illatum, ut paullo infra scriberent *auus Marullinus*, iam correxit Robertus a Porta et deinceps Casaubonus Salmasius Gruterus. etenim atauus est quinto gradu supra cognatus (Tit. VI de grad. cogn. Iust. Inst. 3). C. uero Matidius Patruinus, cui Marciana soror Traiani nupta fuit, in tabula Fratrum Arualium XXII commemoratur (uide *Marini* Atti dei frat. arv. pp. CXXIX et 158. cfr. *Borghesi* Oeuvres épigraphiques (Opere epigrafice) I p. 241). cuius filiam Matidiam in matrimonio L. quendam Vibium habuisse ex hoc titulo, quem ediderunt *Henzen* Supplem. Orelli p. 86 et Borghesius l. l. II p. 240, probatur, cuius apographum Borghesium secutus hic dabo:

D. M.
L. VIBIVS. AVG. LIB. FLORVS. FECIT
VIBIAE. CHELIDONI. CONIVGI. SVAE
KARISSIMAE. B. M. ET. SIBI ET VIBIS
SABINIANO. MATIDIANO. FLORO. TELIMORPHO
MATIDIANE. LIBERIS SVIS ET VIBIO. TELIMORPHO

AVG . LIB . PARENTI SVO KARISSIMO
ET LIBERTIS . LIBERTABVSQVE Suis
SVORVMQVU POSTERISQVE EOR......
M . CVM . VPOGAEO SVO HERED EXTERVNON Sequetur
Roma in Mus. Borbonicum (nunc Reg.) illatus.

ante Vibium Trebonianum Gallum quum nemo alius gentis Vibiæ imperauerit, non Augusti, sed *Augustæ* libertum fuisse Vibium necesse est. et iam a Fabrettio probatum est libertos Augustarum nomina recepisse patris patronæ. facile etiam cognomina Sabiniani et Matidiani ad notissimas Matidiæ maioris filias referuntur. apparet igitur, unde filia M. Antonini Vibia Aurelia Sabina, uxor Claudii Seueri, mater Anniæ Faustinæ uxoris Elegabali nomen habuerit. de nomine autem Iuliæ quod perperam etiam nunc Merivale l. l. Sabinæ tribuit uide Eckhel l. l. p. 520 sq. ad cetera denique nomina omnibus nota penitus cognoscenda adeundus est Clinton l. l. Eckhel l. l. p. 411 usque ad finem tomi. *Cohen.* Descript. d. monnaies cet. II p. p. 1—266 *Akerman*, Roman Coins I p. 212 sqq. et Indices collectionum inscript. de Serviano infra docebimus. — *senator populi Romani.* eodem modo Treb. Pollio XXX Tyr. c. 24 *Tetricum senatorem populi Romani.* his autem uocabulis utuntur scriptores, ut senatum et senatores imperii Romani discernant ab ordine et decurionibus municipiorum et coloniarum, qui et in Italia (uide *Mommsen.* I. R. N. Indic. p. 480 et Henzen l. l. Indic. p. 152 sq.) et extra Italiam in urbibus quidem maioribus, ut Aquileiæ (Orelli 4041) Viennæ Allobrogum (Casaub. ad h. l.) Zarmizegethusæ (*A. W. Zumpt*, Honorum gradus cet. in *Museo Rhenano* a. 1843 p. 258) senatus uocabantur et senatores (*senator municipii* (Tusculi) Orelli 2270). inuenitur id in publicis quoque tabulis cfr Tab. Heracleens. ap. *Zell* Handb. d. röm. Epigraphik I. p. 27). errat igitur *Marquardt*, (Handb. d. röm. Alterthümer III 1 p. 364 adn. 2352) Orellium secutus, qui quum ad tit. n:o 3735 II p. 163 contendat uix inueniri posse decurionem senatoris nomen sibi arrogantem, etsi Decurionum ordo splendidissimus uariis in locis senatum se nuncupauerit, tituli quem ipse affert n:o 2279 oblitus esse uidetur.

§ 3. *natus est Romæ.* Vespasiano VII Tito V conss. a. p. Ch. 76. Eutropius eum Italicæ natum esse refert.

§ 4. *Vlpium Traianum prætorium tunc. uirum* pro *tunc* in cod. Palatino scriptum est a tertia manu, sed correctione nihil opus est.

cur uero Eckhel. l. l. p. 411 Spartiano laudato et deinde *Champagny* (les Antonins I p. 220) hoc potissimum anno Traianum præ-

torem fuisse putent prorsus nescimus. nam ut nihil dicam de eo quod constat inter omnes prætorium illum numquam dici qui est prætor, sed apud ueteres scriptores hanc semper de iis adhiberi uocem, qui prætura functi sint, apud Tacitum et Suetonium et qui postea scripserunt, de iis quoque usurpari qui ab imperatoribus uel in prætorios allecti sint uel ornamentis donati prætoriis, minime cum temporum et rerum ratione congruit is annus, quo hunc eum honorem gessisse dicunt.

quod igitur nobis ueri simillimum uidetur secuti, quamquam in hac præcipue re maximi uiri dissentiunt, cum Eckhel. l. l. et Merivalio l. l. p. 212 Traianum a. p. Ch. 53 natum esse putamus. iam uero Plinius in Panegyr. c. 14 eum tradit *puerum admodum Parthica* laude gloriam patris auxisse. his igitur uerbis demonstratur eum bello quodam Parthico duce patre interfuisse. quod bellum quo tempore gestum esset, nihil sciremus (cfr Eckhel. l. l. qui id refert a. u. c. 828) nisi ex hoc loco concludere liceret circa a. p. Ch. 67 uel 68, ubi Vespasianus bellum gerens cum Iudæis expeditiones contra Parthos facile emittere potuit, factum esse. uocat enim Plinius hanc Traiani contra Parthos militiam *incunabula et rudimenta*. constat autem ætatem militarem ueteribus Romanis ab inito XVII ætatis anno incepisse. nec tamen a fide abhorret mutata reipublicæ forma aliquid etiam de hac re immutatum esse. quum enim antea, usque ad tempora L. Sullæ, uicesimo sexto impleto anno quæstura peti posset, postea initus annus tricesimus requireretur, id Augustus ita mutauit, ut qui uigesimum quintum agerent annum eum magistratum capere permitteret (Dio Cass. LII 20. Vellei. Paterc. II 94 collat. cum Dione Cass. LIII 28. Vlpian. l. 2, ad Edict. L 8 D. de muner. et honor. 50, 4). quum uero etiam tunc uetus illud præceptum manserit, ut qui rempublicum capesserent decem ante mererent stipendia (Plin. l. l. c. 15) quid ueri similius esse potest, quam ut, militia quoque maturius quam antea fieri solebat coepta, quinto decimo inito anno legatos ad bella adolescentes secuti sint?

atque a uigintiuiratu, de quo infra dicemus, initium auspicandorum honorum his temporibus capi consueuisse eumque ante tribunatum militum gestum esse satis magnus titulorum numerus probat. quamquam non desunt exempla quibus apparet etiam sine hoc magistratu ad honores perueniri potuisse. (ex gr. Orelli 801. Cn. Octavius Titinius Capito, de quo conferas Plin. Epp. I 17. VIII 12, quum Imp. Neruæ ab epistolis fuisset ornamentis prætoriis donatus est). quam ad id munus capessendum ætatem haberent, Dio Cassius LII

20 nos certiores fecit (— *καταλέγεσθαι δὲ χρὴ ἐς μὲν τὴν ἱππάδα ὀκτωκαιδεκαέτεις* — *ἐς δὲ τὸ συνέδριον πεντεκαιεικοσιέτεις*). nihil aliud ait nisi duodeuiginti annos requiri ad equestrem dignitatem sic sine dubio intelligens ante eam ætatem neque equum publicum licere accipere neque equestrem honorem, qualem scimus fuisse uigintiuiratum. uerumtamen in hac re minus accurate loquitur, quod non impletus annus doudeuicesimus requirebatur, sed initus sufficiebat (quod titulis allatis probatur ab A. W. Zumptio Commentat. Epigraphic. II p. 7 sq.). si igitur ante uigintiuiratum tria meruerat stipendia, post illum septem modo militiæ anni restabant, ut mori maiorum satisfaceret. totam igitur militiam qua ante quæsturam perfungi necesse erat, impleto anno ætatis suæ uigesimo quinto absoluerat. et ueri simile est filium uiri consularis et patricii intima cum Tito familiaritate coniuncti (Eckhel. l. l. p. 434), quum primum per leges fieri posset, quæstorem factum esse. neque uero a fide abhorret insequenti eum anno acta senatus composuisse, ut postea fecit Hadrianus (infra c. 3, cfr. Mommsen. I. R. N. 1879. 3537. 4933. Orelli 2274. Henzen 5478. 5479. 6020, titulum Concordiensem ibid. 6485 cet., ad quem explicandum maximam præbet utilitatem Zumpt. l. l. p. 29 sqq. et tituli quos ibi laudat). solitum enim fuisse ex inscriptionibus colligere licet eos qui postea ædiles curules futuri erant, antea acta senatus curasse. sed etiamsi ab actis senatus non fuerit, probabile est annum inter quæsturam et ædilitatem interfuisse (cfr Tac. Agric. c. 6). curulem uero ædilem, si ædilis omnino fuerit, eum fuisse necesse est, quum pater patricius tribunum aut ædilem plebis eum factum esse credere uetet (Plin. Panegyr. 9 cfr Zumpt in Mus. Rhen. l. l. p. 276). quamquam fieri potuit, ut ædilitate prætermissa ad alios statim honores perueniret, quod hoc antequam lege a Seuero Alexandro (Lampr. c. 43) constitueretur, consuetudine obtinuisse iam docuerunt Borghesius et Zumptius (Comm. Epigraph. II p. 28). sin gesserit ædilitatem, haud scio an cum anno ætatis uigesimo septimo eum magistratum finiuerit. quibus adducor, ut credam suo anno eum præturam adiisse, quum legibus esset statutum, biennio demum interposito (Dio Cass. LII 20) ii qui tribunatu (uide Marquardt II 3 p. 264) et, quia eundem hæc munera honorum gradum obtinebant, ii quoque qui ædilitate functi essent, ad præturam eueherentur; neue id fieret ante uitæ eorum annum tricesimum, nisi quid de hac lege imperatores remisissent (cfr Capit. M. Anton. c. 5). quæ quum ita sint, prætor fuit p. Ch. 83, uel si ætatem militarem non ante sextum decimum annum completum incepisse putamus, p. Ch. 85. quin

etiam maturius ad eum honorem peruenerit, si quid in serie honorum eum prætermisisse putamus.

quod denique dicit Gregorouius l. l. p. 3 et is qui eum secutus Champagny Spartianum perperam laudat, præfectum prætorio Traianum fuisse quo ex fonte hauserint inuenire non potui, neque umquam me inuenturum esse spero. apud nullum enim unquam scriptorem memini me legere senatorem aut omnino quemquam nisi equitem Romanum ante tempora Seueri Alexandri (Lampr. c. 21) exceptis Tito Cæsare et fortasse Clemente Arretino præfecturam prætorii gessisse. quamquam Titum in ordinem equestrem transiisse fortasse colligi potest ex uerbis Plinii mai., quæ sunt in præfatione H. N. *his nobilius fecisti, dum illud patri pariter et equestri ordini præstas, præfectus prætorio eius.* contraque accidit sed perraro, ut præfecti prætorio in ipso munere senatores fierent, ut Seianus et alii (cfr Orelli 934. Henzen 5477). — *Coelium Attianum.* ita scribendum esse iam uidit Salmasius, qui tamen quum in codice Palatino ita semper esse affirmat, paullulum errauit. namque inuenimus h. l. in Palatino *tatianum*, in Bambergensi *tacianum*, ceteris locis hi codices longe optimi semper habent *attianus* cet., excepto quod in paragrapho septima cap. 8 si collationem a Petero factam sequimur in utroque inuenitur *atutinum*, sin Iordani et Eyssenhardtii auctoritati confidimus, tantum in Bambergensi; in Palatino pro eo quod a prima manu scriptum est *aticinum* correctum esse *attianum.* accedit quod etiam apud Dionem (LXIX 1 ed. Sturz IV p. 351 cfr VI p. 644) scriptum est *ὅ τε Ἀιτιανός.* ex quo Zonaras fecit *ὁ Τατιανός.* neque enim corruptionis crimen, ut Casaubono et Grutero, quos Gregorouium et Champagny secutos esse apparet, ad Xiphilinum referendum est; quum perspicuum sit illud *τε* h. l. neutiquam redundare: opponuntur enim *ὅ τε Ἀττιανὸς — καὶ ἡ Πλωτῖνα.*

de hoc uero Attiano uide infra c. 4 § 2. c. 5 § 5. c. 9 § 3 sq. c. 15 § 2 Dio cass. LXIX 1.

§ 5. cfr Dion. Cass. LXIX 3 *φύσει φιλολόγος ἐν ἑκατέρᾳ τῇ γλώσσῃ.* Aurel. Vict. ut ipsius utar uerbis, studia eum Atheniensium hausisse dicit. ex quo fortasse colligi potest Athenis eum litteris operam dedisse. sed de hac re nihil constat. Plutarchum eum præceptorem habuisse contendit Gregorouius. de aliis præceptoribus uide *Letronne* Receuil d. inscr. d'Egypte I p. 130.

# Cap. II.

§ 1. *ad patriam rediit. ad* pro eo quod est *in* huius ætatis scriptores sæpissime utuntur.

*patriæ* uero uocabulum, si cum Merivalio Hadrianum Athenis studiis se dedisse putamus, ita accipiendum est, ut Romam significet et facile ita explicatur illud *rediit.* sin uero Romæ et natum et educatum censemus et tum demum uenisse *in patriam* quo uerbo ex illis quæ sequuntur *uenando* — *studiosus* ueri simile uidetur Italicam appellari, quæritur quid sibi uelit illud *rediit.* etenim h. l. nihil aliud esse potest quam *uenit* uel *profectus est.* quod proximum uero esse apparet, quum etiam in ultima huius capitis parte uerba quæ scribuntur *ad amicitiam Traiani rediit* ita explicanda sint, ut in amicitiam Traiani tum primum Hadrianus receptus sit. et multis exemplis Salmasius confirmauit sæpissime illud *re* etiam apud scriptores Spartiano et tempore et sermonis præstantia antiquiores nihil ad simplicis uocis significationem augendam ualere.

§ 2. *decemuir litibus iudicandis datus*, cfr inscr. quam ad c. III § 6 dabimus. constat inter omnes decemuiros litibus uel stlitibus iudicandis inter eos fuisse, qui quæstoris dignitate inferiores uno uigintisexuiratus nomine comprehendebantur, postea abrogatis ab Augusto quatuoruiris iuri dicundo et duumuiris uiis extra urbem purgandis uiginti tantum uiri fiebant. decemuiris autem inde ab Augusto coniunctionem quandam cum centumuiris eorumque iudicio fuisse apparet (Sueton. Aug. c. 36. Dio Cass. LIV c. 26). neque tamen qualis fuerit hæc coniunctio, satis scimus, quum centumuiris eos *præsedisse* credere uetet locus Plinii min. Epp. V 22 *prætor qui centumuiris præsidet.* erant ut ceteri qui uigintiuiratu fungebantur, ex equitibus Romanis (Dio Cass. l. l.), quibus adnumerabantur senatorii quoque ordinis adolescentes septendecim annis maiores, ut et ex hoc loco et ex multis titulis apparet (cfr Zumpt. Comm. Epigraph. II p. 7), quamuis honore ceteros equites multo anteirent (cfr Lang. R. A. II p. 332 sq.). inito dudeuicesimo anno hoc munus gerere potuerunt (cfr Borghesi Oeuvres Epigr. II p. 109 et titulos, quos ibi laudat). permissa autem iis qui uigintiuiratu functi erant, optio erat, utrum maioribus quoque honoribus gerendis in senatum allegi uellent, an in uitam priuatam redire (Dio Cass. l. l.).

quod dicit Gregorouius ex decemuiris quinque senatores, quinque equites Romanos fuisse nescio unde sumpserit. — *tribunus secundæ legionis adiutricis.* legio II Adiutrix P. F. (Pia Fidelis) a Vespasiano

scripta (Dio Cass. LV 24 δεύτερον τὸ ἐπικουρικόν cfr Tac. H. IV 68) in Pannonia inferiore collocata in bello cum Civile a Ceriale gesto interfuit (Tac. H. V c. 15 sqq.). postea diuersis temporibus appellata est cognominibus Antoninianæ (Orelli 2119) Seuerianæ (Id. 1177. 3182) Claudianæ (Id. 1024). eam uero, ut facit Meriuale VII p. 407, extremis Domitiani temporibus in Moesiam translatam esse ex uerbis quæ apud Spartianum sequuntur minime colligere ausim, quum facile fieri posset, ut qua de causa Hadrianus in tribunatum alius legionis transferretur, quod solitum fuisse docet titulus Henzenii 6498 (cfr tamen quod dicit idem ad 6766). quod certum fit ex inscriptione illa quem ad c. III § 6 totam afferemus, ex quo cognitum habemus Hadrianum postea tribunum fuisse legionis V Macedonicæ, quæ in Moesia tendebat (Borghesi Oeuvres Epigr. II p. 212) et deinceps leg. XXII Primigeniæ, quæ in Germania militabat (Borghesi l. l. p. 238 sqq.). Domitianus occisus est p. Ch. 96 XIV Kal. Octob. (Clinton Fasti R. I p. 81 sq.).

§ 6. *excessum Neruæ.* obiit Nerua a. p. Ch. 98 VIII Kal. Febr. Romæ in hortis Sallustianis (Clinton l. l. p. 84) quo tempore Traianus erat Coloniæ Agrippinæ (Eutropius VIII 2. Victor Ep. XIII).

§ 7. *Serviani beneficiarium.* beneficia apud ueteres quoque scriptores quæ in militia dignitatis accessiones accipiuntur sæpius uocantur. Liuius IX c. 30 *ut tribuni*, inquit, *senideni in quatuor legiones a populo crearentur: quæ antea perquam paucis suffragio populi relictis locis dictatorum et consulum ferme fuerant beneficia.* apud Suetonium autem in Tiberio c. 12 *beneficii sui milites* inuenitur et Tacitus in H. I 25 *primores*, inquit, *militum per beneficia Nymphidii* cet. hi uero milites beneficiarii sunt dicti. quod nomen primus quod sciam usurpauit Cæsar Bell. Ciu. I 75. *(Petreius cum prætoria cohorte barbarisque equitibus paucis benficiariis suis).* hi quales fuerint, declarat Vegetius II 7 ita disputans: *hi sunt milites principales beneficiarii, qui priuilegiis muniuntur; reliqui munifices, qui munera facere coguntur.* contra quem quum s. u. aliud habeat, nulla Festo auctoritas est tribuenda. principales uero milites erant, qui ex gregariis in superiores ordines prouecti, intra centuriæ tamen gradus sæpissime mansuri erant. erant beneficiarii solitis militum muneribus uacui, ut toti essent iis seruiendo quorum beneficiis euecti essent, quorumque nominibus, ad ipsum beneficiarii uocabulum genetiuo casu adiectis, ita discernebantur, ut quum pro diuersis illorum in militia gradibus quibus tributi essent, diuersa et ipsi obtinerent honoris fastigia, essent tamen omnes infra centurionis dignitatem. quod uel maxime patet ex illis laterculis uigilum nomina continentibus, quæ a. 1820 in hortis Matthæiorum Cæli-

montanis reperta ibique in atrio uillæ seruata libro ad id conscripto copiosissime et præclarissime explicauit Danus ille Olaus Kellerman. inueniuntur etiam in aliis titulis et beneficiarii nulla eorum quibus adiecti essent facta mentione et beneficiarii cohortis, tribuni, semestris (cfr Henzen 6792 a), præfecti, subpræfecti, stolarchi (l. l. 6870, quem Mommsenus eundem esse putat ac præfectum classis) legati, consularis. neque igitur certo cuidam militiæ generi id munus est proprium, sed per omnia æque inuenitur. de beneficiariis illis qui posterioribus temporibus officiis præsidum prouinciarum adscripti erant, uide Marquardt III 2 p. 418 adn. 2437, ubi ad locos ab eo laudatos addi potest Cod. Theod. VIII 4, 7.

§ 8. *uergilianas sortes consuleret. quis procul* cet. sunt uersus Aeneid. VI 808 sqq. uergilianarum sortium tria genera fuerunt. primum erat, quo sacerdotes quum deficiente iam diuino illo furore, quo antea instincti fuerant, uersus ipsi facere non amplius possent, ita sese expedirent, ut, quod factum est Præneste (Lampr. Seu. Alex. c. 4) et in Aponino (Trebell. Poll. Claud. c. 10, quo loco alii *in Apennino* scribunt) ueterum poetarum uersibus usi et quidem in Italia maxime uergilianis quæ futura essent prædicarent. alterum erat id genus cuius hic mentio fit (cfr Seu. Alex. c. 14), ut uersus uergiliani tabulis inscripti in sitella miscerentur et deinde tollerentur uel quaterentur, donec sors excideret. tertium denique ita adhibuerunt, ut codicem uergilianum aperientes in quem primum inciderant locum eum pro sorte haberent, quod idem in Scriptura Sacra Christiani fecerunt. cfr Marquardt IV 1. p. 112 et Casaub. ad h. l. — *sibyllinis uersibus*, qui quibus scripsit Spartianus temporibus falsi circumferebantur (uide Champagny l. l. II p. 366 sqq.) et fortasse idem sunt, qui usque ad nos peruenerunt:

*— μετ' αὐτὸν ἄλλος ἀνάξας*
*Ἀργυρόκρανος ἀνήρ· τοῦ οὔνομα πόντου*
*Ἔσται καὶ πανάριστος ἀνὴρ καὶ πάντα νοήσας.*

quamquam ueri simile est eos multo posterioribus temporibus compositos esse (uide *Ewald* in Abh. d. Kön. gesellsch. d. Wissensch. in Göttingen. Hist. Phil. Cl. Vol. VIII p. 43 sqq.).

§ 9. *fano quoque Niceforii Iouis.* uerbum Niceforii (ita enim in optimis libris scriptum inuenimus), accipiendum censemus de urbe ad Euphraten non procul ab Edessa sita. nihil enim de Ioue quodam niceforio apud ueteres inuenitur, sed Nicephorus ille semper Iupiter audit, quamquam nihil prohibet, quominus illum Niceforii præcipue cultum putemus. sed quæritur quomodo factum sit, ut Hadrianus, qui, quantum scimus, hoc tempore nondum in Syria fuisset ad hanc præ-

cipue urbem mitteret, ut cognosceret quæ sibi euentura essent. cuius rei memoriam, qui uelint, seruatam esse putent hoc nummo (Cohen l. l. II p. 101)

HADRIANVS. AVG. P. P. *Hadriani caput nudum dextra parte.*
R. COS III. *Iupiter Nicephorus superne nudus sedens læua parte. ad pedes aquila.*

— *Sura.* L. Licinius Sura, quo fauente Traianum adoptatum fuisse sunt qui putauerint (Victor Ep. XIII). consul primum suffectus p. Ch. 98 (Fasti Baiteri in Cic. ed Orelli Vol. VIII), ordinarius deinde consul II p. Ch. 102 et III p. Ch. 107 (Baiter l. l. Clinton l. l. cet.). consulem eum fuisse declarant etiam tituli qui sunt apud Gruterum 429, 3—9, qui quod Barcinonensium et Tarraconensium sint, originem Suræ prodere uidentur Tillemontio (Hist. d. Emper. II p. 175 ed. 1720). mortuus est a. p. Ch. fere 110 (Tillemont l. l.). Traiano eum in orationibus scribendis affuisse sequitur ex loco Iuliani in Cæs. p. 38 *καίπερ δυνάμενος λέγειν, ὑπὸ ῥαθυμίας — ἐπιτρέπειν γὰρ εἰώθει τὰ πολλὰ τῷ Σούρᾳ γράφειν ὑπὲρ αὐτοῦ — φθεγγόμενος μᾶλλον ἢ λέγων, κ. τ. λ.* quamquam cauendum est ne in omnibus inuido gloriæ superiorum imperatori credamus. intima igitur Traianus secum amicitia coniuncto (Dio Cass. LXVIII c. 15) thermas et lauacra inscripsit (Vict. Cæs. XIII cfr Ep. XIII). hunc etiam rerum, quæ ad obscuriorem naturæ cognitionem pertinent, studiosum fuisse apparet ex Plin. Epp. IV 30. VII 27, quas ad hunc Suram scriptas esse censemus (aliter Tillemont. l. l.) — *redit* cfr § 2. — *nepte* i. e. filia neptis cfr supra c. 1. § 2. — *Marius Maximus.* res ab imperatoribus a Traiano usque ad Elegabalum gestas conscripsit. neque enim ultra hunc uitæ eius a Scriptoribus H. A. pro testimonio afferuntur. uixit igitur fortasse, ut placet Casaubono, Alexandri temporibus. eadem uero ratione scribendi, qua antea Suetonius, eum usum esse apparet uél ex illa Vopisci in Prob. c. 2 scriptorum enumeratione, quos ille sibi proposuisset ad imitandum. constat eum multorum uerborum fuisse, nugas sæpe narrasse, locos communes attulisse (Vopisc. Firm. 1. Lampr. Eleg. c. 13 cfr c. 18 et 33 et *Dirksen* die Scriptores Historiæ Augustæ cet. p. 28. Lamprid. Seu. Alex. c. 65). et quamquam uituperationi Scriptorum H. A. non multum tribuendum est, qui auctores eum et Aelium Cordum ex latinis scriptoribus, e Græcis Herodianum maxime secuti sunt, hi tamen imitatores eius sua scribendi ratione satis qualis fuerit demonstrant (cfr Dirksen l. l. p. 34 sqq.). ideo credendum est iudicio Vopisci qui (Firm. l. l.) credulitatis et superstitionis anilis eum arguit, quum mythistoricis uoluminibus eum se implicasse dicat. quod iudicium etiam magis confirmatur illis locis quos ex eo attulerunt scriptores H.

A. (cfr Spart. Hadr. c. 20. Ael. Ver. c. 3. Capit. Clod. Alb. 11 Lampr. Seu. Alex. c. 5). inseruit orationes principum (Capit. M. Ant. c. 25 Pertin. c. 2) epistolas (ibid. 5) senatus acclamationes (Lampr. Commod. c. 18) quæ tamen omnia non raro falsa erant (cfr Dirksen l. l. p. 17). ex uerbis Spartiani quæ sunt in uita Getæ c. 2 *in uita Seueri Marius Maximus primo septenario satis copiose rettulit*, recte fortasse concluditur opus eius in partes septenos libros uel capita continentes diuisum fuisse. tantum deinde auctoritas eius apud posteros ualuit, ut Ammianus Marcellinus Lib. XXVIII c. 4 § 14 contendat suo etiam sæculo multos fuisse qui in summo ueterum omnium scriptorum fastidio hunc solum ex historicis mirarentur.

## Cap. III.

§ 1. *quæsturam gessit* Imp. Cæs. Nerua Traiano Aug. IV Sex. Articuleio Pæto cons. p. Ch. 101 (Clinton, Baiter, Eckhel l. l.).

de quæstura uero qualis mutata reipublicæ forma fuerit usque ad Diocletianum et Constantinum I maxime inter se dissentiunt doctissimi uiri. distinguuntur enim uariis nominibus quæstores et apud scriptores et præcipue in titulis, ut appellentur alii, nullo uerbo adiecto, tantum *quæstores* alii *urbani* uel *urbis*, alii *consulis*, alii *quæstores candidati*, siue fit mentio principis, cuius sunt candidati, qui aut suo nomine insignitur aut uocabulis tantum Imp. uel Aug. demonstratur, siue huius omnino omittitur significatio, alii denique *quæstores prouinciæ* uel pleniore appellatione *qu. pr. pr. (pro prætore) prouinciæ* cuiusdam. nam illi tituli, in quibus inueniuntur *quæstores ab ærario* spurii sunt exceptis qui ad eos referri possunt quibus teste Suetonio a Claudio (c. 7) cura ærarii prætoriis adempta translata est (cfr Henzen 6456, ubi T. Domitius Decidius, pater Decidiæ Domitianæ, uxoris Iulii Agricolæ (Tac. Agric. c. 6) adlectus fuisse dicitur qui primus quæstor per triennium præesset ærario Saturni; quod iterum mutatum est a Nerone (cfr infra § 8). sed quæritur inter ceteros quid interfuerit.

iam uero quum nihil adiectum est, nihil magis perspicuum esse potest quam omnia ea quæstorum genera, quæ singula singulis nominibus aliis locis distinguuntur siue incuria siue quia longum fuerat omnia plene perscribere, a scriptoribus et librorum et titulorum solo quæstoris nomine comprehendi.

est igitur de diuersis illis quæstorum generibus quæ supra commerauimus disputandum. atque de quæstoribus urbanis uel urbis (Momm-

seu I. R. N. Henzen 6500 et fortasse aliis multis locis ubi scribitur nota VRB.) nullo modo, ut alios omittamus, Zumptio adsentiendum esse putamus, qui docet quæstores urbanos eosdem semper fuisse atque quæstores principis uel quæstores candidatos principis nihilque iis relictum fuisse putat, quam ut orationes principum dictarent et in senatu recitarent. nihil enim ex titulo Muratorii p. 397, 4 etiamsi genuinus sit, probari posse censemus; quod cur ita esse existimemus, ex iis quæ mox dicentur, facile apparebit.

quid igitur aliis negotiis imperatorum temporibus sublatis præter hanc orationum curam quæstoribus urbanis superfuit? quam mihi quæstionem optime Marquardt II 3 p. 257 et qui eum in hac re secutus est Langius I p. 643 diiudicasse uidentur. censent enim illi quæstoribus ærarii abrogatis eos appellatos esse urbanos, qui, ut cognouimus ex Dione XLVIII c. 43 (a. a. Ch. 37) bini singulis consulibus dati erant quosque Tacitus Ann. XVI c. 34 quæstores consulis appellat (cfr. Dion. Cass. LVIII c. 4.). quod uel ex eo sequitur quod in titulis, quum frequens aliorum quæstorum generum mentio fiat, nusquam inueniuntur quæstores consulis, ut appareat nomen urbanorum ad eos significandos in publicis tabulis semper usurpatum fuisse. quamobrem multum inter urbanos et quæstores principis interfuisse necesse est, nisi forte ipse princeps consul erat.

annuos uero hos fuisse neque ut consules per duo sæpissime tantum menses officio functos, probat Ep. Plinii min. VIII 23. inuenitur in inscriptionibus hoc quæstorum genus usque ad tempora Septimii Seueri, nam Fabianus ille qui memoratur Orelli 2274 non facile alius esse potest, quam is qui consul factus est p. Ch. 201. quod enim Borghesius (Bullet. del' istituto di correspondenzia archeol. 1852 p. 56) ex eo titulo quem postea numero 5954 Henzenius distinxit, ostendere conatus est M. Tineium, cuius ibi mentio fit, iis temporibus uixisse quum iam tribunatus et ædilitas cessassent, i. e. postquam Seuerus Alexander cursum honorum contraxisset, idem summus uir alio loco (cfr. supra c. 1 § 4) id consuetudine antea quoque obtinuisse docet; quo argumentum, quod ex eo titulo sumi potuit, plane euertitur. neque uero cum Marquardtio et Langio contendere ausus sim posterioribus temporibus præfecto urbi hos quæstores fuisse subditos quum nihil aliud ex præscriptionibus tituli quinti libri sexti Codicis Theodosiani recte concludi posse nobis uideatur, quam eam modo cum his quæstoribus præfectos et urbi et prætorio coniunctionem habuisse, ut uiderent ne ludi, quorum edendorum munus his iniunctum esset, perperam celebrarentur.

ut uero iam ad illud ueniamus, quod uel grauissima pars huiusce est disputationis, ut de quæstoribus uideamus, qui qu. principis candidati uocantur, persuasum habemus eos non alios esse quam eos qui nulla candidæ facta mentione principis tantum appellantur. namque idem *L. Minicius Natalis Quadronius Verus*, cos. p. Ch. 127 qui apud Henzen 6498 est *Quæstor Cand. Diui Hadriani*, alio loco apud eundem 5450 dicitur *Quæstor Aug.* ex iisdem hisce titulis probatur falsam esse eorum opinionem, qui putant id semper officium fuisse quæstorum candidatorum, ut orationes principum in senatu recitarent. inuenitur enim in priori: *L. Minicio — — — Quæstori Candidato Diui Hadriani et eodem tempore — legato prouinciæ Africæ diocoeseos Chartagenien. — proconsulis patris sui*, in altero: *Q. Aug. et eodem tempore legato pr. pr. patris provinciæ Africæ.* iam uero qui est legatus in Africa, eodem tempore non potest Romæ in senatu legere orationes principis. duo igitur ex his titulis colligere licet et quæstores candidatos principis eosdem fuisse qui idem quæstores principis nominantur et his Romæ adesse non opus fuisse. urbanos tamen quæstores interdum candidatos uocari et per se perspicuum est et id probaremus ex titulo Muratorii quem iam laudauimus, nisi eum subdititium putaremus. nec minus interdum prouinciæ quoque quæstores candidati sunt principis ut apud Mommsen I. R. N. 1881 = Henzen 6452 *Ti. Claudius Sæthiades Cælianus* dicitur Q. provinciæ Siciliæ candidatus Impp. Antonini et Veri Augustorum. quibus omnibus perspicuum fit nomen candidati ad omnes cuiusque erant generis quæstores pertinuisse nullaque ratione eorum sententiam defendi posse, qui se nobis probaturos sperant candidatis id ante alios quæstores datum fuisse, ut uerba imperatoris in senatu facerent, quamquam fieri non potuit, quin hi quibus hæc cura erat semper essent e numero candidatorum et ante alios candidati principis uocarentur, quum appareat id semper imperatoribus cordi fuisse quales essent qui consiliorum et intimæ mentis participes fierent. nam significat uerbum candidati in his omnibus nihil aliud atque id quod est *commendatus*, quare ex natura linguæ necesse erat, ut nomen principis a quo quisque commendatus esset adderetur. eum autem commendandi morem, ut certos deligerent principes qui sine ambitu et repulsa a senatu designarentur inde a principiis mutatæ reipublicæ obtinuisse constat inter omnes. (cfr. Tac. Ann. I c. 15).

sequitur, ut de quæstoribus illis qui in titulis nulla principis alicuius adiecta mentione candidati modo nominantur sit dicendum. et conantibus nobis quid horum sit proprium definire, id primum minum uisum est, quod huiusmodi tituli non ante tempora L. Veri existere uidentur, quum id genus de quo modo diximus quæstorum non am-

plius quam ad nouissima Antoninorum tempora inneniamus. hac igitur ætate aliquid immutatum esse apparet. quod quale esset nihil cognitum haberemus, nisi lucem afferret Spartianus ita dicens in Seuer. c. 3. *prætor* (Seuerus) *designatus est non in candida, sed in competitorum grege.* hæc enim uerba *in candida* non, ut putat Dirksen l. l. p. 53, eandem uim habent, atque id quod superioribus temporibus erat *candidatus*, sed ad uestem referuntur. constat igitur tunc eos solum honorum petitores, qui ab imperatoribus commendati erant, candida usos esse, quod insigne etiam in magistratu eos retinuisse eo ueri simile fit, quod omissa uoce quæstoris Vlpianus l. sing. de off. quæst. tit. un. D. de off. 2 *candidatos principis* eos uocat. horum uero teste eodem id munus erat, ut principis uice dicerent uel libros principales in senatu legerent. plures fuisse uidentur et fortasse originem traxerunt ex quæstoribus consulis uel urbanis.

iam uero quod reliquum est, ut dicamus de quæstoribus prouinciarum, uel ut nominabantur tum quum præsidis uice agebant, quæstoribus pro prætore (cfr. Cic. ad fam. II 15. ad Attic. VI 6), pauca modo de horum ratione mutata uidentur. nonnusquam igitur pro iis *quæstorii* missi sunt in prouincias (Dio Cass. VIII 14) et quidem in eas qui populi uocabantur. iurisdictionem eos in prouincis populi Romani habuisse eandem quæ Romæ ædilium curulium erat, Gaius I § 6 nos certiores facit. inueniuntur in titulis certe ad tempora Gordianorum (uide Orelli 3658. Henzen 6048. Orelli 3193). quamquam nihil quidem prohibet, quin usque ad Diocletianum, ut putat Langius I p. 643. eos perdurasse credamus. institutum autem est a Constantino I nouum genus quæstorum, ut esset quidam *quæstor intra sacrum palatium* u. *sacri palatii*, summa præditus dignitate ac potentia (uide de hoc Böcking N. Or. p. 247 sqq. N. Occ. p. 324*).

hæc igitur fuerunt quæstorum genera qui temporibus imperatorum inueniuntur. de numero autem eorum nihil certi constat, sed quum C. Cæsar ultimo quo uixit anno quadraginta fecerit, hoc seruatum non est et uidentur postea tot facti esse quot quoque tempore necessitas reipublicæ postularet (cfr. Tac. XI 22). fuerunt etiam, qui adlecti in quæstorios aut ornamentis quæstoriis donati honorem eorum qui munere functi erant adipiscerentur (Tac. Ann. XI 38. XVI 33. Suet. Claud. 28).

iam uero Hadrianum quæstorem imperatoris Traiani fuisse et id sibi iniunctum habuisse ut eius in senatu orationes recitaret quamquam posteriori anni parte imperatorem ad bellum sequebatur, et ex hoc loco et ex titulo iam laudato apud Henzenium (in Annali dell'istit. 1862 p. 139 uide c. III § 6) perspectum habemus.

§ 2. *post quæsturam acta senatus curauit.* de his actis senatus et curatoribus eorum iam ex locis, quæ inuenire poteram, commentationem conscripseram, quum a uiro mihi amico, qui ipse in hac re explicanda eleborauit, liber mihi postea editus Hübneri (de senatus populique Romani actis. commentatio ex annalium philologicorum supplemento tertio seorsum edita. Lipsiæ CIↃIↃCCCLX) copiosissimus communicatus est. qui quum rem prorsus diiudicasse uideatur id præcipue faciam, ut quæ adcuratissime is disputauit, quam breuissime exponam.

atque constat inter omnes Cæsarem inito primo consulatu a. Ch. 59 primum omnium instituisse, ut tam senatus quam populi diurna acta confierent et publicarentur (Suet. Cæs. 20.) quæ confectio postea mansit, quum nihil illi proficiant qui ex scholiis Asconii orationis Milonianæ, ex Cic. Phil. VIII, 10, 20. ad Att. IV, 18, 2 ad. fam. XII, 1, 1. 29, 2. Phil. V, 4, 12 non ita fuisse probari putant (l. l. p. 14). itaque post Cæsaris consulatum usque ad Augusti decretum, quo auctor fuit, ne acta senatus publicarentur (Suet. Aug. 36) hæc semper confecta et publicata esse tenendum est. quod postea obtinuit. Augusti enim decretum intactum mansisse præter Frontonis testimonium (Fronto ep. ad Marcum Cæs. II 4 p. 47 ed Rom. in Francofordiana non inueni: diuom Hadrianum auom tuum laudaui in senatu saepe numero studio impenso et propenso quoque.... Antoninum uero ut solem.... diligo, ornari me ab eo sentio. hunc nisi ita laudo ut laudatio mea non in actis senatus abstrusa lateat, sed in manibus hominum oculisque uersetur, ingratus sum etiam aduersus te) etiam ex Plinii minoris uerbis Paneg. 75. probatur post Augustum igitur conficiebantur quidem acta senatus (cfr. præter loc. antea laud. Tac. Ann. II 88 Suet. Tib. 73 Tac. Ann. XV, 74. Spart. Seu. c. 11 Lampr. Seu. Alex. c. 56 Vop. Prob. 2). iam uero apparet ex locis quos laudauimus in acta senatus congesta esse quæ in senatu agebantur, sententias igitur singulorum senatorum, consulta totius senatus, principis orationes, adclamationes, epistolas ad senatum uel ab eo datas, omnia quæ ad iuris dictionem eius pertinebant et fortasse multa alia. formam autem actorum qui penitus cognoscere uelit, reiiciendus est ad disputationem Hübneri qui multa et egregia de hac re scripsit. apparet uero necesse esse horum actorum formam sæpe mutasse, quum ea ipsa quæ in senatu agebantur multo diuersis temporibus discreparent. et ad ultimum eo uentum est. ut nihil fere in senatu ageretur præter illas adclamationes. cuius rei optimam speciem inuenimus in præfatione codicis Theodosiani (Cod. Theodos. ed Hænel col. 81 sqq.), in quo frequens insuper fit mentio actorum uel senatus uel consistorii.

hæc igitur acta ut aliquis componeret adhibitis scribis et notariis, unus — nam plures eos fuisse nusquam inuenio — e senatoribus ut deligeretur constitutum est et quidem ex eo numero, qui quæstura iam functi essent. uocabatur hic uel *curator actorum* (I. R. N. 4933 = Henzen 5447) uel postea ut putat Hübnerus Hadriani fere a temporibus *ab actis senatus* (Orelli 2273. Orelli 3186 cfr Henzen p. 510. Henz. 6485. 5478. 5479. Orelli 3113 = I. R. N. 1879. cfr C. I. G. 1133 et 1327 *ἐπὶ τῶν ὑπομνημάτων τῆς συγκλήτου* (*κανδίδατος* uero ad uerba quæ sequuntur — — *ἀγορανόμος κουρούλλιος* refero contra Hübnerum et Zumptium Comm. epigr. II p. 30 sq., quem locum Hübnerum non cognouisse apparet (Orelli 2274. Marini atti dei frat. aru. tab. LXI. Henzen 6020. Grut. 446, 3. I. R. N. 3537. Kellerman Laterc. uig. 67, 244. Fabretti p. 691, 121. nominantur præterea apud scriptores et h. l. et Tac. Ann. V 4 Dio Cass. LXXVIII 22). institutum est munus ut uerisimile est Neronis fere temporibus Tac. l. l.). a principe uero designabantur, quare interdum uocabantur *ab actis principis* (Orelli 2273). Quod nomen idem significare atque id quod est ab actis senatus uel ex eo euincitur, quod eundem in serie honorum obtinet locum. hoc autem munus aliquid commendationis habuisse ex eo colligimus, quod ex sedecim actorum curatoribus quorum memoria ad nos peruenit, nouem continuo ædiles factos esse uidemus et quidem curules, qui his temporibus pro honestioribus haberi coepti sunt: ex reliquis duo tribuni plebis sed ab imperatore commendati atque unus quod maxime memorabile uidetur post hanc actorum curam nullo honore interposito prætor factus est. (Henzen 5447. L. Neratius L. f. uol. Marcellus) III uir a. a. a. f. f. adlectus inter patric. ab diuo Vespasiano curat. actorum senatus quæst. Aug. pr.). neque enim Zumptio l. l. credendum est quum dicit apud Spartianum mentionem commendationis Hadriano ab imperatore Traiano datæ excidisse (cfr inscr. qu. dabo ad c. III § 6). quod Marquardt II 3 p. 228 et 253 censet ex hoc munere semper ædiles factos esse et scriptorum et titulorum auctoritate erroris arguitur, ut Hübnerus et qui eum secutus est Langius II 367 recte contendant hunc secundo demum sæculo morem obtinuisse. nam, quod dicit Dio Cassius LXXVIII 22 de Domitio Floro, ita accipi debet, ut de eo dictum sit quod sæpissime usu uenire solitum est. plus annum eos in munere fuisse, ut putat Zumptius, credi non potest et Traiani temporibus aliter rem se habuisse efficitur ex uerbis quæ sequuntur: *ad bellum dacicum Traianum familiarius prosecutus est.* hic enim primum dacicum bellum quod gestum est ab anno p. Ch. 101 ad a. 103 significari perspicuum est, ad quod comes Hadrianus Traianum secutus est,

quum paullo infra secunda de dacica expeditione idem dicat, quæ Decebalo rebellante a. p. Ch. 104 incepit et ante a. 106 finita est (uide adn. L. Renier. in Borghesi Oeuvr. epigraph. II p. 122). iam uero ut supra diximus Hadrianus a. 101 per totum annum quæstor fuit et anno insequenti acta senatus curauit. quamobrem, quum bello interesset quod a. 103 geri desitum est non amplius annum ullo modo in hoc munere uersari potuit. neque tamen causas esse puto, cur Casaubono intra paucos modo menses eodem anno et quæsturam et curam actorum Hadrianum gessisse concedam. neque facio cum Hübnero qui p. 35 Hadrianum putat per exceptionem post breue tempus actorum cura se abdicasse. mansit hoc munus certe ad tertium p. Ch. sæculum (tit. Fabrettii s. l.).

§ 4. *tribunus plebis factus est Candido et Quadrato conss.* Ti. Iulius Candidus II et A. Iulius Quadratus consules erant p. Ch. 105 (cfr Casaub. ad. h. l.).

notissimum est in republica Romana omnium rerum arbitrio uni tradito tribunos plebis pristinæ potestatis umbram modo inanem et sine honore nomen retinuisse. etenim quamquam iura, quæ iis antiquitus fuerant, uerbo et simulatione seruabant et insuper iure uocandi augebantur, hæc omnia re uera ad nutum principis exercuerunt neque nisi perraro contra eorum auctoritatem quidquam ausi sunt. retinuerunt igitur ius prensionis (Gell. XIII 12), cum patribus agendi utique in senatu referrent (Dio Cass. LV 3 a. Ch. 8 Tac. Ann. VI 12 p. Ch. 32), ut eundem conuocarent (Dio Cass. LIX 24 *ὑπατεύοντος αὐτοῦ (τοῦ Γαΐου) τὸ τρίτον* (p. Ch. 40) *οὐδεὶς οὔτε τῶν δημαρχῶν οὔτε τῶν στρατηγῶν ἀθροῖσαι τὴν γερουσίαν ἐτόλμησε.* LX 16 p. Ch. 42 uno ex collegio defuncto et Dio Cass. LXXVIII 37, longo demum tempore interiecto p. Ch. 218), ut multam dicerent, quod ius a Claudio imminutum est, quum statueretur multam ab iis dictam in publicos commentarios quæstores ne referrent ante quatuor menses: medio tempore liceret contradicere deque eo consules statuerent (Tac. Ann. XIII 28). potuerunt porro senatusconsultis intercedere (Tac. Ann. VI 47 p. Ch. 37. XVI 26 p. Ch. 66. Hist. IV 9 p. Ch. 69. Dio Cass. LVII 15 p. Ch. 16), pro potestate aduertere (Tac. Ann. XIII 28). ius uero eorum iudicandi quod antea nullis certis terminis sæptum et cum iure auxilii coniunctum habebant, non multo post interitum libertatis ita esse definitum ueri simile est (Pseudo-Ascon. p. 118 ed. Orelli (Cic. V 2) Iuuen. VII 228. cfr Pompon. lib. sing. Enchiridii L. 2 § 34. D. de origin. iur. 1. 2), ut haberent tribuni iurisdictionem de mercedibus deque aliis nonnullis, quæ qualia fuerint nescimus. ius quoque iis fuisse apparet ex Suet. Dom. 8 ædiles et qui-

dem plebeios accusandi et iudices in eos a senatu petendi. ad hæc accedere putat Marquardt II 3 p. 255, Mommsenum (Römische Tribus) secutus, ut præfecto urbi subditi foris rerum uenalium præessent. in quo errasse uidetur: nam tribunus ille cuius mentio fit in edicto Aproniano p. Ch. 339 (al. 367 uel 372) dato, cui simul cum officio cancellario scriba cura pecuariorum mandatur ex eo potius fuisse genere uidetur, quo sunt illi qui in Notitia Dignitatum inueniuntur (uide Böcking N. D. N. Occ. p. 16* et 197* sqq.), quorum munera ad utilitatem urbis Romæ pertinebant et erant *tribunus fori suarii*, *rationalis uini*, quem *tribunum uinarii fori uocat* Symmachus Epp. X 35 et *tribunus rerum nitentium* quem germanice "einen Galerieninspector, Aufseher der öffentlichen Kunstschätze Roms" Böcking p. 206* uocat. hisce uero coniunctionem quandam cum cohortibus urbanis fuisse euinci posse uidetur ex eo titulo qui est Orelli n. 23, qui scriptus est in honorem Flauii Claudii Constanini (II p. Ch. 338—340) a Flauio quodam Vrsacio V. P. tribuno cohortium urbanarum X. XI et XII et fori syarii (sic) (cfr. Dig. 1, 15, 3). at maxime mirum fuisset, si quum eiusmodi tribunus uenditores et emptores suum disciplina cogeret, tribuno plebis opus fuisset ad eos coercendos qui ex alio pecore lucrum faciebant.

iam uero ut ad tempora superiora redeamus tribunis plebis ab Octauiano Augusto datum est, ut una cum prætoribus et ædilibus quatuordecim urbis regiones curarent (Dio Cass. LV 8 a. Ch. 8). a Tiberio a. p. Ch. 14 iis concessum est ut decreta pecunia ex ærario ludos ederent, qui de nomine Augusti Augustales uocarentur, quorum tamen annua celebratio mox translata est ad eum prætorem, cui iurisdictio inter ciues et peregrinus euenisset (Tac. Ann. I 15. Dio Cass. LVI 46. 47).

mansit deinceps nomen et quasi munus tribunorum etiam tum, quum imperium Romanum inter duos uel plures simul imperatores deuisum fuit (Cod. Thedos. VIII 18, 1. p. Ch. 319. IX 1, 19 p. Ch. 423. XII 1, 74 § 4 p. Ch. 371 Nou. Valentiniani I 1, 3 p. Ch. 438, si annos cum Hænel computamus).

tribunos uero ut ceteros magistratus ab imperatoribus sæpe commendatos esse probat candidatorum in titulis frequens mentio, quod nomen et designatos (Orelli 3153. tr. plebis designatus candidatus L. Fuluius Aburnius Valens cos. 118 p. Ch.) et in honore eos habuisse constat. reperies etiam sæpissime eos qui ab imperatoribus in tribunicios allecti sint. ornamenta uero tribunicia nulla fuisse perspicuum est. — *pœnulas* — *uidentur.* qui imperatores mane salutabant uel uidebant (cfr. Gallien. II 16) toga induti esse debuerunt, unde hic togati

uocantur. quum tribuni nulla potestatis suæ propria ornamenta haberent, pænulis ut ceteri ciues quum opus esset. (cfr. *Friedländer* Darstellungen aus der Sittengesch. cet. I p. 126) uti potuerunt.

§ 6. *primæ legioni Mineruiæ præposuit.* Legio I Mineruia P. F. in Germania inferiore a Domitiano scripta (Dio Cass. LV 24) ut putat Marquardt III 2 p. 355, ne locus legionis quintæ Alaudæ quæ in bello Sarmatico deleta esset uacuus relinqueretur. Seueriana postea uocata est (Henzen 6682) et mansit certe ad illa tempora, quibus scripta est Notitia Dignitatum (NOr. p. 35), cfr. de hac legione Borghesi Oeuvres epigr. II p. 203 et quæ præclare in adnotatione ibi facta disputauit Henzenius. huius igitur legionis legatus factus est Hadrianus. nam, licet is plerumque obtinuerit mos ut post præturam demum legionum legati fierent, tamen et ex hoc loco et ex Tac. Ann. II 36 (p. Ch. 16. *nam censuit Gallus ut — legionum legati, qui ante præturam ea militia fungebantur iam tum prætores destinarentur)* id non semper seruatum esse colligitur. quin etiam nonnumquam factum est ut qui fortitudine aut rei militaris scientia atque usu præstarent neque senatoriam haberent dignitatem eos inter quæstorios tribunicios prætorios allegerent imperatores, antequam ad hanc militiam proueherentur (Orelli 922). fuerunt etiam qui quum essent inferiore conditione quam ut legati fieri possent, nominibus præfectorum uel præpositorum ornati legiones ducerent (cfr. Henzen. Indic. p. 123 sqq. in titulo n:o 6747 inuenitur centurio primipilus, qui postea adlectus est ad munera præf. Leg. VIII Clau. et primæ Adiutricis). præfuit uero Hadrianus huic legioni eodem tempore quo prætor erat, ut cognouimus ex inscriptione illa Atheniensi quam primus Henzenius edidit in Annali dell'Instituto di corrispondenzia archeologica XXXIV a. 1862, et commentario instruxit a summis uiris maxime laudato; eos tamen annales in hac apud nos de romana antiquitate librorum penuria inspicere nullo modo mihi contigit. dabo igitur apographum ex Philologo 1864 p. 560: *P. Aelio P. F. Serg. Hadriano / cos. VII. uiro. epulonum. sodáli. augustáli. leg. pro. pr. imp. neruæ traianI / cæsaris. aug. germanici. dacici. pannoniæ inferioris prætor eodemque / tempore leg. leg. I. Minerviæ. p. f. bello. dacico. item. trib. pleb. quæstori. imperatoris / traiáni. et. comiti. expeditionis. daciæ. donís. militaribus. ab eo. donato. bis. trib. leg. II / adiutricis p. f. item legionis. V. macedonicæ. item legionis. XXII primigeniæ. p. f. seuiro / turmæ eq. r. præf. feriarum latinarum. X uiro s. i. / ἡ ἐξ Ἀρείου πάγου βουλὴ καὶ ἡ τῶν ἑξακοσίων καὶ ὁ δῆμος ὁ Ἀθηναίων τὸν ἄρχοντα ἑαυτῶν Ἀδριανόν/.* confirmatur hoc titulo etiam quod paullo infra dicetur multa

egregia facta eius tunc claruisse, et bis donis militaribus donatum eum fuisse.

§ 8. *prætor factus est sub Surano bis et Seruiano conss. bis* pro eo quod est *iterum*. quod uerbum apud melioris ætatis scriptores numquam de eo dicitur qui iterum consulatu fungatur, quum ex illo honore annorum computatio fiat, sed tum solum, quum significatur sine certi temporis notatione aliquem duobus diuersis annis eum magistratum gessisse. his autem temporibus quibus scripsit Spartianus hoc uerbum adhibetur et quidem maxime in titulis (Merobaude bis et Saturnino coss. p. Ch. 377 in titulo ap. Maffei Mus. Veron. p. 357, 5 cfr. Zell Handb. d. Röm. Epigr. II p. 133). consules igitur qui hic nominantur siue Surano siue Suburano alteri nomen est, suffecti erant a. p. Ch. 106 (cfr adn. Renieri apud Borghes. Oeuvr. Epigr. II p. 122). ordinarii autem huius anni consules erant L. Licinius Sura III C. Sosius Senecio IV (Baiter l. l. p. LXXX. Clinton I p. 94. Orelli 4412). neque enim raro et apud scriptores et in titulis posterioribus temporibus suffectorum nominibus tempora distinguuntur. Hadrianum uero fortasse eos modo menses præturæ suæ anni Romæ erat, quibus hi consules erant, quamquam ambigi potest, num omnino hoc tempore ibi fuerit, quum sæpe etiam ii qui honore aliquo fungebantur, imperatores ad bella sequerentur (cfr. infra adn. meam ad c. 18 § 1).

iam uero quem inter prætores obtinuerit locum plane nescii sumus. erant enim tunc in civitate decem et octo prætores qui ius dicerent (Pomponius lib. singulari Enchir. L. 2 § 32 D. de orig. iur. 1, 2), quum antea numerus sæpe mutatus esset. namque Iul. Cæsaris tempore prætores erant modo decem (Dioni Cass. XL 11 et 51 contra auctoritatem Dig. l. l. non credendum est) modo quatuordecim (Dio Cass. XLIII 47), modo sedecim (Dio Cass. XLIII, 49, 51). deinde Augustus constituit primo decem (Dio Cass. LIII 32 *ὡς οὐδὲν ἔτι πλειόνων δεόμενος* (a. Ch. 21).... *καὶ τουτο ἐπὶ πλείω ἔτη ἐγένετο*), deinde sedecim (Dio Cass. LVI 25. Dig. l. l. p. Ch. 11); sequentibus deinceps multis annis duodecim tantum fuerunt. quod Tiberius seruauit (Tac. Ann. I 14), quamquam ab eo etiam extra ordinem præturæ datæ sunt, quod a p. Ch. 16 iis Libonis accusatoribus contigit qui senatorii erant ordinis (l. l. II 32). anno p. Ch. 33 quindecim erant prætores (Dio Cass. LVIII 20). et diu id servatum est, ita tamen ut nonnumquam fieri posset ut uno pauciores uel plures fierent. inde a Claudio duodeuiginti fuisse apparet exceptis temporibus Imp. Titi et Domitiani qui unum detraxerat, quem Nerua rursus adiecit cfr. infra (Dig. l. l.).

ex hisce uero omnibus duo modo fere seruarunt eadem, munera, quæ libera republica habuerant, eos dico quibus duæ urbanæ prouinciæ obuenerant, ut alter inter ciues, alter inter ciues et peregrinos ius dicerent. quorum ille antiquitus urbanus appellatus erat hic non ante Traianum peregrinus. horum autem iurisdictio institutis præfectis urbi et prætorio imminuta est. quamquam quum alia tum ea iudicia, quæ antea ædilium fuerant, ab Augusto a. p. Ch. 27 illis mandata sunt, ut causæ maiores ad urbanum, minores ad peregrinum pertinerent. eodem anno prætorem urbanum ipse constituit, quod etiam aliquoties post id tempus fecit (Dio Cass. LIII 2). neque ut antea ad hunc omnes ciuium Romanorum appellationes pertinere passus est sed (a. Ch. 34?) prouincialium consularibus uiris, quos singulos singularum prouinciarum negotiis præposuisset, delegauit. mansit prætor urbanus etiam Constantinopoli (Io. Laur. Lydus II, 30 (Hænel). cfr. Cod. Theod. III, 32, 2). prætorem autem, cui iurisdictio peregrina competebat ueri simili est a Caracallo abrogatum esse, quum omnibus qui ubique in imperio Romano essent, ciuitatem donaret p. Ch. 212. Dio Cass. LXXVII 9. cfr. Walter R. R. G. I p. 421).

ceteris prætoribus, postquam a primis imperatoribus publicæ quæstiones sensim abrogatæ fuerunt, alia munera iniuncta sunt; sed accidit tamen ut non omnibus satis esset negotii (Tac. Agric. 6), quum imperatores interdum nulla alia de causa numerum augerent, quam quia magistratum hunc petentes offendere nollent (Dio Cass. LVI 20). omnibus illis ius relationis Augustus dedit a. a. Ch. 8 quod tamen dies aboleuit (Dio Cass. LVI, 3). idem iis concessit, ut una cum tribunis plebis et ædilibus quatuordecim urbis regionibus præessent (Dio Cass. LV 8. Suet. Aug. 30 a. Ch. 6 cfr. Orelli 736. 782). mansit hoc certe ad a. p. Ch. 100 (Orelli 782); fortasse usque ad Seuerum Alexandrum (Lampr. 33). anno uero a. Ch. 22 Augustus instituit, ut cura ærarii a quæstoribus urbanis ad duos prætores) prætoriosue) transiret (Dio Cass. LIII 32. Suet. Aug. 36), qui prætores ærarii uel ad ærarium (in titulo P. Plautii Pulchri, qui Claudii temporibus floruit Orelli 723) uocati sunt. iudicia hi inter principis adsessores obibant (Dio Cass. LX 4 p. Ch. 41). anno p. Ch. 44 quæstoribus ut antiquitus traditum fuerat munus pecuniæ publicæ administrandæ Claudius rursus mandauit, prætoribus iudicia quædam, quæ antea a consulibus cognita fuerant ἀντενεχείρισε (Dio Cass. LX 24. Suet. Claud. 24). prætorios ærario denuo Nero præfecit (Tac. Ann. XIII 29), prætores Vespasianus (Tac. H. IV 9). a temporibus denique Traiani præfecti semper nominantur ii prætorii uiri qui curam gerunt pecuniæ publicæ administrandæ.

Claudius, quum prætores ærarii abrogasset, duos constituit, qui de fideicommissis ius dicerent (Dig. l. l. cfr. Suet. Claud. 23), ex quibus alterum detraxit Titus, alter permansit. Gai. II § 278 ed. Lachmann p. 202. Vlpian. § 12 tit. de fideic. 25 ed. Hugo in Ius Ciu. a. I. L. p. 84—85 *fideicommisso* eum uocat. in titulis appellatur pr. de fideicommissis (Orelli 3135), fideicommissarius (Henzen 6451. 6452), *supremarum* (in titulo Nemausi reperto C. cuiusdam Aemilii qui ab Imp. Antonino inter tribunitios adlectus fuerat Henzen 6454). neque tamen omnis de fideicommissis cognitio huius erat, sed erant summæ prætoria cognitione maiores, quæ apud consules peti debebant (Quintil. Inst. III 6, 70 cfr. Gai. et. Vlpian. loc. laud.). mansit postea hic (Vlpian. l. 8 de omnib. tribunal. L. 8 De tutor. et curat. 26, 5).

prætor quem Nero a. p. Ch. 58 aduersus publicanos iura extra ordinem reddere iussit, utrum urbanus fuerit, an alius, nescimus.

unum numero prætorum Nerua adiecit qui inter fiscum et priuatos ius diceret (Dig. 1, 2, 32), de quo nihil amplius constat, nisi recte contendunt qui hunc eundem esse putent, qui in titulis nominatur *hastarius* uel *ad hastas* (Orelli 2379. C. Coerellius, qui floruit Antoninorum temporibus. Henzen 6453 Torquatus Atticus (de quo cfr. Plin. H. N. XIV 28, 5). qui titulus tamen suspectus est cfr. Henzen p. 510. Henzen 6500 Q. Lollius Urbicus, qui Britannos uicit circa annum p. Ch. 143 (Eckhel D. N. VII p. 14).

hi igitur sunt ii prætores qui anno p. Ch. 106, quo anno Hadrianus eo munero functus est, fuerunt aut certe esse potuerunt. superest ut etiam de iis qui postea instituti sint pauca dicam.

ac primum Iulius Capitolinus de M. Antonino memoriæ prodidit (c. 10) eum prætorem tutelarem primum fecisse, quum ante tutores a consulibus poscerentur. quum enim antiquitus tutores a prætoribus urbanis peterentur, Claudius (Suet. c. 23) sanxit ut pupillis extra ordinem tutores a consulibus darentur. M. autem Antoninus ordinarium magistratum ad eos dandos instituit. hi uocabantur *tutelares* (Fragm. Vatic. § 244) uel quod semper usu uenit in titulis ubi totum perscriptum est uerbum *tutelarii* (Orelli 3134. 3151. 3672. Henzen 6503). cognitio uero eorum et iurisdictio *tutelaris* (Cod. Theod. III, 17, 3) uel ut in notissimo titulo Concordiensi (Henzen 6485) *pupillaris*. et ex hoc titulo docemur primum eius cognitionis prætorem fuisse Arrium Antoninum quem a. p. Ch. 162 institutum fuisse probauit Zumptius (Comment. epigr. II p. 60). hoc uero munus etiam Constantinopoli permansit, quum ex omnibus illis qui Romæ fuissent prætoribus duo tantum Constantinus nouæ suæ urbi impertiret, urbanum dico et tutelarem (C. Theod. III 17. 4. Io. Laur. Lyd. de mag. II 30). qualis

deinceps post mortem Constantini fuerit prætura optime explicauit Böcking in NOcc. pp. 123*. 133*. 142*. 146*. 178* sqq. NOr. 200. 433. de ludis quos ederent hi prætores multa afferri possent (cfr. Dio Cass. LIV 2. LV 31. LIX 14. LX 5. LXXVIII 22 (p. Ch. 217) C. Theod. VI 4 (p. Ch. 320—408) NOcc. p. 178 sqq.), sed id modo dicemus, eos his celebrandis præcipue electos esse, quare ad ultimum prætorem fieri non pro honore sed pro malo quod uitari non posset haberetur, quodque solo uertendo effugere sæpe conarentur (cfr. Cod. Theod. loc. laud.) — *sestertium uicies. iterum* quod inter hæc uerba interpositum habent codices deleui cum Mommseno. neque enim antea de aliqua Traiani in Hadrianum liberalitate quæstio fuit neque cum Salmasio iterum pro *bis* accipi posse credo, quum nusquam tale quid uidi apud unum umquam scriptorem. et satis magna est etiam hæc summa.

§ 9. *legatus postea prætorius in Pannoniam inferiorem missus.* constat inter omnes prouincias imperii Romani Augustum a. Ch. 26 ita diuisisse ut eas sibi susciperet in quibus milites habere necesse esset, reliquos senatui permitteret (Dio Cass. LIII 12. Suet. Aug. 47.). his autem uiros senatorios præposuit, qui proconsules uocabantur (quamquam postea interdum etiam legati imperatoris proconsules appellabantur cfr. Orelli 3835. Henzen 6920), nullo discrimine, utrum consulares, an prætoriæ essent prouinciæ, illis legatos qui pro dignitate quam ante legationem habuerant uocabantur aut legati Imperatoris consulares, qui iis præerant prouinciis in quibus duo uel plures essent legiones, aut leg. prætorii qui iis prouinciis in quibus una modo tendebat legio præpositi erant (uide locos et titulos quibus hoc quod dixi confirmatur apud Marquardt III 1 p. 299 sq. Hænel, Corp. leg. anteiust. Indic. p. 215 u. legatus. Henzen. Indic. p. 110 sq. Eckhel D. N. IV p.). proconsulibus tributi erant legati qui eis essent subsidio et in iudiciis uel si qua alicubi alia re opus esset, quare cura partis uel diocoeseos prouinciæ eis tradi potuit (Henzen 5450 cfr. 6498) aut iurisdicto quædam mandari (cfr. Hænel l. l. u. mandata iurisdicto). et illi uocabantur legati pro prætore lictoresque habebant. fuerunt igitur, ut nihil dicam de censitoribus et iuridicis, qui et ipsi legati quodammodo erant, quatuor omnino fuerunt legatorum genera: primum eorum qui legionibus præerant quique tot legatis prouinciæ cuiusque addicti erant, quot in ea legiones erant, deinde qui proconsulibus addebantur, tum qui prouincias prætoria dignitate præditi regebant, postremo qui consulari insignes honore prouinciis præfuerunt.

Pannoniam uero primus Augustus bellis ab a. a. Ch. 25 usque ad a. p. Ch. 8 gestis (Dio Cass. XLIX 36. 37. L 24. LIII 7. LIV

20, 24, 28, 31, 34 LV, 2, 28—34. Vellei. Paterc. II 39 Eutrop. VII 5 Rufus Breuiar. 7) ditionis Romanæ fecit et in prouinciæ formam redegit. prouinciam Cæsaris fuisse et prætorio legato mandatum recte probauit Marquardt l. l. p. 103. quum uero dicit *uerisimile* esse inde ab imp. Traiano in duas partes diuisam fuisse, superiorem et inferiorem, illud uerisimile superuacaneum est, quum iam probari possit ante a. p. Ch. 114 hanc esse diuisionem factam tabula honestæ missionis afferenda, quam a. p. Ch. 1853 Carnunti reperta est, ubi hæc leguntur: *Imp. cæsar diui Neruæ f. Nerua Traianus opoptimus aug. germ. dacic. pontif. max. tribunic. potestat. XVIII imp. VII cos. VI p. p. equitib. et peditib. qui militauerunt in alis duabus et cohortibus sex que* (sic) — — — — *sunt in Pannonia inferiore sub. P. Afranio Flauiano* (sc. leg. pr. pr.). XVIII enim scribendum esse pro eo quod est in tabula XVII, facile eo euincitur, quod hoc demum anno p. Ch. 114 ob expugnatas Armeniam Mesopotamiam Adiabenen imperator VII, VIII, IX appellatus (cfr. Eckhel. VI p. 429 et 436. Henzen ad 6857 a.). quin etiam ex hoc loco et titulo quem ad c. III § 4 laudaui, concluditur eam ante a. p. Ch. 107 diuisionem factam esse. — *Sarmatas compressit.* Sarmatæ cum aliis Scythicis gentibus Pannoniis et Daciis finitimi erant. magnam enim partem terrarum, quæ hodie Russia Polonia Prussia continentur, incolebant. de Sarmatis, quorum nomen innumerabiles fere populos complectebatur uide *Ukert* l. l. III 2 p. 11—493 et C. I. G. Vol. II p. 80 sqq.

§ 10. *ob hoc consul est factus.* consul suffectus p. Ch. 109 cum M. Trebatio Prisco, ut concluditur ex fragmento fastorum feriarum Latinarum (Orelli 2471 cfr. inscr. ad § 4.). fallitur ad h. l. Casaubonus, quum censeat Hadrianum consulem fuisse cum L. Publicio Celso.

§ 11. *defuncto Sura* ante a. p. Ch. 114, quia tum Parthicum bellum, de quo mox loquetur Spartianus, inceptum est (cfr. Dio Cass. LXVIII 17. Eckhel VI p. 430 sq.)

## Cap. IV.

§ 1. *legatus — destinatus est*, non legionis cuiusdam, sed ut parti alicui maiori exercitus præesset.

§ 2. *Sosi Papi.* hunc nullis allatis causis eundem esse putant Casaubonus ad h. l. et Sturzius ad Dion. Cass. Vol. VI p. 621 atque est ille de quo tradit Dio Cass. LXVIII 6 (ὁ *Τραϊανὸς*) — *ἔστησε δὲ καὶ τοῦ Σοσσίου τοῦ τε Πάλμου καὶ τοῦ Κέλσου εἰκονας.* quod probent alii. equidem eum de quo loquitur Dio fuisse credo So-

sium illum Senecionem, qui Traiani temporibus summa gloria splendens quater consul fuit, cuique multa Plinius minor et Plutarchus scripserunt. — *Platori Nepotis.* optimi hic codices habent *pletori*, quam lectionem tuetur Peterus (in addendis p. 361) Mommsen. I. R. N. 414 afferens, ad quod addere potuit locum Macri lib. 2 de appellationibus L. 1 pr. D. si pendente appell. 49, 13. sed nihil tamen profecisset. nullo enim modo quia fuerint homines, quibus nomen fuerit Pletorio, hunc etiam Platorium Nepotem ita appellatum fuisse necesse est. pari ratione probari posset, quod Plætorii multi gentis plebeiæ prioribus temporibus (cfr. Orelli Onomast. Tullian. p. 460 sq. Eckhel I p. 273. Akerman Rom. Coins I p. 72) fuerint, hoc nomen litteris *a* et *e* scribendum esse. quæ coniecturæ refutantur ex titulis, in quibus agitur de hoc ipso cuius hic mentio fit Platorio: Orelli 822 coll. cum Henzen p. 83 cfr. Borghesi Oeuvr. epig. I q. 123. *A. Platorio A. f. ser. Nepoti Aponio Italico Maniliano C. Licinio Pollioni.* tot enim nominibus horum temporum principes uiri gaudebant et frequens duplicis prænonimis usus erat) *cos. augur. legat. aug. pro præt. prouinc. Britanniæ leg. pro pr. prouinc. German. inferior. leg. pro pr. prouinc. Thrac. leg. legion. I adiutricis quæst. prouin. Maced. curat. uiarum Cassiæ Claudiæ Ciminiæ nouæ Traianæ* (cfr Zumpt. Rh. Mus. 1843 p. 286. Borghesi Oeuvr. epigr. II p. 177 sq.) *candidato diui Traiani trib. mil. leg. XXII primigen. p. f. præt. trib. pleb. III uiro capitali patrono d. d.* existit etiam in nouis fragmentis actorum fratrum arualium quæ nuper reperta libro hoc anno edito *Scaui nel bosco dei fratelli arvali* Henzenius illustrauit (uide Philolog. 1869 p. 468) Platorii Nepotis mentio. ex his uero fragmentis apparet eum consulem suffectum fuisse ex Mart. 119 cum imp. Hadriano. commemoratur infra c. 15 et 23. filius uero eius A. *Platorius* Nepos Calpurnianus inuenitur apud Henzen n:o 5472 cfr. Borghesi l. l. I p. 122. — *Liuiani Turbonis.* hunc minime esse Marcium Turbonem de quo infra dicetur perspicuum est ex Orelli 831. Grut. 305, 3.

§ 3. *in adoptionis sponsionem uenit. sponsio* h. l. idem fere est ac *spes*, ut etiam *spondere* usurpatur pro eo quod est *facere ut speremus* cfr. Iustin. VII 6 *magna de illo spes erat propter ipsius ingenium, quod magnum spondebat uirum.* — *Palma.* A. Cornelius Palma consul ordinarius p. Ch. 99 et iterum eodem anno quo erat Hadrianus suffectus (Baiter l. l. p. LXXVIII et LXXX. Clinton l. l. Vol. I p. 84 et 94.). quum Syriæ præesset, eam Arabiæ partem cepit quæ Petram attingit redegitque in ditionem populi Romani (Dio Cass. LXVIII 14). ab Hadriano interfectus est a. p. Ch. 118 (Dio Cass. LXIX 2 cfr. infra c. 7). — *Celso.* L. Publicius Celsus quo anno

fuerit consul suffectus equidem nescio, Casaubonus et Sturz l. l. p. 621 ad annum p. Ch. 109 consulatum eius referunt; quod quum nullos afferant auctores, unde sumpserint prorsus ignoro. iterum consul fuit et quidem ordinarius a. p. Ch. 113 (Baiter l. l. p. LXXXI Clinton p. 98) — *adfectæ tyrannidis*, Bamberg. *adiecte* — Pal. *adiectæ* correxit Salmasius comparatis locis Vulcatii in Au. Cassio c. 1 § 5. C. 2 § 5.

§ 4. *secundo consul -- factus.* hæc uerba non ita accipienda sunt, ut anno p. Ch. 117 consul factus sit Hadrianus neque ordinarius, quum ex multis auctoribus constat hoc anno ordinarios fuisse Quinctium Nigrum C. Vipstanum Apronianum neque suffectus, quum anno insequenti in titulis et numis consul II. uocetur (Eckhel D. N. VI p. 476 sqq.), restat igitur, ut credamus eum hoc anno in proximum designatum fuisse, quum solitum esset his temporibus consules ita designari ut post aliquot demum annos honorem inirent et Spartianum usum illum sequentem quo sæpissime in titulis et nummis apud imperatores et filios eorum etiam designationes numero honorum consularium adnumerantur, hoc loco factum pro designato eum uocasse. honores igitur consulis ordinarii anno 118 ei cesserunt. quamobrem errasse Merioalius l. l. VII p. 409 putandus est, qui eum iterum suffectum a. 117 fuisse putet. consules autem anni 118 quos cognitos habeo, sunt ordinarii Imp. Cæs. Hadrianus Aug. Tib. Claudius Fuscus Salinator, *ex Kal. Mart.* Imp. Hadrianus A. Platorius Nepos; *medio anno* L. Pomponius Bassus L. Licinius Barbarus (cfr Philolog. l. l.). — *totam præsumptionem adoptionis emeruit. præsumptio* pro eo quod est fiducia alicuius rei antequam eneuiat, inuenitur etiam apud Plinium minorem cfr Epp. IV 15. IX 3. *emerere* pro simplici uerbo merere ita apud Plin. adhibetur, ut sit idem quod *consequi* Epp. VIII 13 sequi gloria non appeti debet: nec si casu aliquo non sequatur, idcirco quod gloriam non *meruit*, minus pulchrum est cfr Dig. XXXV 2, 21. Tertulliano et multis deinceps scriptoribus id esse familiare dicit Casaubonus ad h. l.

§ 5. *curasse delicatos eosdemque sæpe lisse.* et Bambergensis et Palatinus habent *sepelisse*, quod quum habeat ineptissimam sententiam corrigi necesse est; Lipsio igitur placuit *depilasse* ut his uerbis significatum esse putaret Hadrianum pueris a Traiano amatis ministeria seruilia præstitisse quum eos in balneis curaret et depilaret. Casaubonus uero, eandem fere in hoc loco inesse sententiam ratus una modo litera adiecta ex *sepelisse* fecit *sæpe lisse.* neque melius sibi in mentem uenisse fatetur Salmasius. neutra mihi sententia satis-

fecit, quia illud *lisse* pro eo quod est *leuisse* uel *liuisse* a linendo numquam legere memini. nihil tamen ad locum restituendum me afferre posse facile fateor.

§ 6. *quinto iduum August. die legatus Suriæ litteras adoptionis accepit.* hanc adoptionem artificiis Plotinæ factam esse consentiunt et Spartianus et Dio LXIX 1. Dio uero id sibi compertum dicit ex Aproniano patre suo, qui tunc Ciliciæ præesset, mortem Traiani per aliquos dies occultatam fuisse, donec literæ ad senatum missæ essent, quibus non Traianus, sed Plotina subscripsisset. Spartianus paullo infra addit quendam suppositum esse, qui pro Traiano fessa uoce loqueretur. quæ omnia Plotinam Dio contendit *ἐξ ἐρωτικῆς φιλίας* fecisse. in quo secum ipse pugnat, quippe qui alio loco LXVIII 5 eam dicat in toto principatu Traiani se ita gessisse ut omni careret reprehensione. in qua re consentit Plin. min Panegyr. 83, quamquam non magni eius iudicium faciendum est, quum more laudantium in maius omnia semper augeat. ne minimum quidem Aurelio Victori Cæs. XIII deferendum est. Dionem uero errare facile putari potest, quum sint hominum semper aures ad id accipiendum pronæ, quod maligne de imperantibus dicatur. Spartianus uero id confirmare non audet, sed quum de falsa adoptione narraturus est, uerba *nec defuerunt qui prodiderint* præmittit ut nihil sit quare credamus his historiæ auctoribus.

numis uero adoptio significatur et quidam ita ut uideantur cum festinatione quadam cusi esse, ut celerius diuulgaretur adoptio (cfr Eckhel VI p. 473 sq.). uerum id Traiano uiuo factum esse ii arguunt numi (l. l. p. 475 sq.) qui imperatores una stantes dextrasque iungentes ostendunt. quare id proxime ad fidem accedere uidetur Traianum inuitum quidem, sed uxore omnibus modis tentante, Hadrianum adoptasse. quod uult Gregorouius Spartianum secutus (cfr Meriuale l. l. p. 390) Traianum, quamuis perbene sciret omnium opinione Hadrianum ut succederet iam destinatum esse, tamen exemplo magni Alexandri nihil de hac re certi statuisse, ut culpam, si malus futurus esset princeps, a se auerteret in eos, qui eum delecturi essent, id, quamuis Traiani in aliis rebus imitatio quædam magni Alexandri perspicua sit, minime moribus et ingenio eius conseptaneum esse existimo. — *natalem adoptionis.* Casaubonus ad h. l. docuit natales antiquos uocasse omnes dies propter aliquam lætitiam insignem sibi solennes. sic etiam Christianos eam uocem usurpasse, ut dicerent natalem ordinationis et alio loco natalem cuiusdam quo die summum sacerdotium suscepisset. Certiores

igitur ex hoc loco facti sumus celebrari ut festum solitum fuisse eum diem quo imperator adoptatus fuisset. mos autem erat in fastis exterarum ciuitatum ut Aegypti aliarumque, ut dies quibus feliciter aliquid imperatoribus euenisset, nomine eorum insignes fierent. cfr. Letronne Rec. d. inscr. de l'Eg. I p. 83 sqq.

§ 7. *tertium iduum earundem quando et natalem imperii statuit celebrandum, excessus ei Traiani nuntiatus est.* diem supremum obiit Traianus Selinunte (Dio Cass. LXVIII 33. nam numum quem ad rem confirmandum affert Gregorouius confictum esse iam docuit Eckhel l. l. p. 440) V. Id. Aug. p. Ch. 117. si accurate tempus imperii Dio computauerit, qui eum dicit imperasse annos XIX menses VI dies XV, cum quo alii scriptores consentiunt, pugnant alii (uide Clinton l. l. p. 84 et 102). successit enim Neruæ eodem teste anno p. Ch. 98, VIII Kal. Febr. quod uero dubium mouit, non posse tantum spatium, quantum fuit inter Selinuntem et Antiochiam ubi tunc erat Hadrianus (Dio LXIX 2) triduo transiri, id nihil est. abest enim hæc urbs ab illa quinquaginta fere millia geographica quæ uocantur, quæ quum cursu publico, de quo infra dicemus, uterentur, tam breui tempore percurrere difficile non erat. sunt autem, qui Traianum Seleuciæ defunctum esse putent et est magna inter doctos uiros discrepantia et de loco et de tempore quo mortuus sit (cfr. Dio. ed. Sturz VI. p. 641. Clinton l. l. Eckhel l. l.) annos suos certe tamen Hadrianus a III Id. Aug. numerasse apparet uel ex eo quod eo die et natalem imperii sui celebrauit et initium tribuniciæ potestatis usque ad annum suum XII sumpsit.

§ 8. *Neratium Priscum.* clarissimus hic erat iuris consultus Sæpino ex oppido Samnii oriundus, ut perspicuum est ex multis titulis, qui in honorem Neratiorum (clarissimæ his temporibus gentis stemma Mommsen. ex I. R. N. 4928—4933 confecit) scripti ibi inuenti sunt. præfectus ærarii Saturni fuerat (Mommsen. I. R. N. 4931) consul suffectus, ut putat Borghesius in l. l. I. R. N. cum Annio Vero, auo imp. M. Antonini (cfr. Dig. XLVIII, 8, 6) anno p. Ch. 90. Henzenius uero in inscr. Orelli III p. 80 ad annum 83 eum consulatum refert. post consulatum legatus pr. pr. prouinciæ Pannoniæ fuit. nescimus quo tempore uita decesserit, nisi ex Dig. XXXV, 1, 7 pr. colligi possit eum usque ad Antoninum Pium uixisse. scripsit librum regularum (Dig. XLI, 3, 40), epistolarum lib. (Dig. XXXIII, 7, 12 § 43) ad Marcellum fratrem, qui primum consul erat 103 (Mommsen l. l. 104) et iterum 129 (Borghesi l. l.), lib. membranarum (Dig. I, 3, 21) lib. responsorum (Dig. VII, 1, 61). erat in consilio Hadriani (cfr. infra c. 18 et Dig. XLII, 4, 7 § 16)

ut ante in Traiani fuerat (Dig. XXXVII, 12, 5). fragmenta uero ex libris eius desumpta extant in Digestis L. I, 3, 21. L. II, 11, 4. 14, 58. L. V, 3, 57. L. VI, 2, 17. L. VII, 1, 44 et 61. L. VIII, 3, 2. L. IX, 2, 53. L. X, 2. 54. L. XII, 4, 8. 6, 41. L. XV, 1, 55. 3, 7. L. XVI, 3, 18 et 30. L. XVII, 1, 35 et 39. L. XVIII, 3, 5. L. XIX, 1, 31. 5, 6. L. XX, 2, 7. L. XXI, 2, 48. L. XXII, 6, 2. L. XXIV, 1, 44. L. XXV, 1, 15 et 16. L. XXVI, 1, 18. 3, 2. 7, 52. L. XXVII, 10, 9. L. XXVIII, 5, 54. L. XXIX, 1, 59. L. XXX, 1, 118 et 124. L. XXXII, 24. L. XXXIII, 7, 23. L. XXXVI, B, 13. L. XXXVII, 10, 9. L. XXXVIII, 1, 50. L. XXXIX, 2, 47. C, 43. L. XL, 7, 17. L. XLI, 1, 13—15. 3, 40 et 41. 10, 15. L. XLIII, 20, 6. L. XLIV, 1, 21. 2, 27. 4, 11. L. XLV, 3, 22 et 24. L. XLVI, 6, 11. 7, 16. L. XLVII, 2, 83. 9, 8. 10, 41. 11, 6. L. L, 1, 9. 5, 5.

§ 10. *in adoptionem adscitum esse.* uidetur hæc locutio *adscire in adoptionem* confusa esse ex duabus. quarum altera *adscire per adoptionem* Tac. Ann. I 3 (cfr. IV 57), altera *accire in adoptionem* Tac. H. II 1 (cfr. Ann. XI 11), nisi in hoc Spartiani loco legendum est *adcitum.*

## Cap. V.

§ 1. *operam intendit* Pal. *impendit*, sed ab emendatrice manu, ut ait Gruterus, cum quo consentiunt Eyssenhardt et Iordan. *(impendit ante corr. P).* neque correctione opus esse uidetur, quamquam latine semper dicitur *operam impendere*, quum in illa uerborum confusione, quæ huius ætatis est propria, facile sic scribere potuerunt pro eo quod est operam impendere, ad similitudinem eius structuræ, qua optimi quoque scriptores *animum* uel tale quid *intendere* scripserunt.

§ 2. *nam deficientibus is nationibus - - - rebelles animos efferebant.* Traianus in prouinciarum formas redegerat Arabiæ illam partem, quæ inter Damascum et mare Erythræum est, opera præcipue usus Cornelii Palmæ a. p. Ch. 105 (Dio. Cass. LXVIII 14. Sex. Rufus 14. 20 de anno quo hoc factum sit uide Eckhel VI p. 420) Daciam p. Ch. 106 (Dio Cass. l. l. Aur. Vict. Cæs. XIII. cfr. Clinton I p. 92. Eckhel l. l. p. 421), Armeniam Mesopotamiam Assyriam p. Ch. 115 (Sex. Rufus 14. 20. Eutropius VIII 3 Dio Cass. LXVIII 20 sqq. Eckhel l. l. p. 436 sqq.). has uero duas prouincias, quas postremo nominaui, ne Traianus quidem satis retinere potuit (Dio Cass. LXVIII 29). namque quæ ceperat, omnia

maximo tumultu defecerunt, alii præsidiis, quæ apud ipsos reliquerat exutis, alii cæsis. quare Hadrianus prudentissimum cepit consilium, quum omnia quæ trans Euphratem erant reliquit, ne uires totius imperii Romani in exiguis et minimi momenti prouinciis obtinendis consumerentur neue finibus illis quos ipsa terrarum natura Euphrate flumine obiecto dedisset longius prodeundo careret. iniuste igitur eum uituperant ii (cfr. infra c. 9 Eutrop. l. l. Sex. Ruf. 14. 20. Hieron. Chron. a. 2131) qui gloriæ Traiani inuidentem id fecisse contendunt. Dacia quoque hoc tempore a Sarmatis aliisque barbaris nationibus deuastabatur, et ex loco Eutropii laudato concluditur, Hadrianum quo facilius fines imperii teneret eam quoque relinquere in animo habuisse uixque propter ciuium Romanorum qui ibi consederunt multitudinem adductum esse, ut eam retineret. quare in inscriptione, Zarmizegethusæ inuenta, Dacia uirtute Hadriani imperio addita felix esse dicitur (Zumpt. in Mus. Rhen. 1843 p. 257). his uero omnibus rebellantibus ad certamen Mauros quoque Lusius Quietus instigabat. de Britannis autem tumultuantibus scribit Fronto (fragm. de bello Parthico p. 321 ed. Francof. *quid auo uestro Hadriano imperium obtinente? quantum militum a Iudæis, quantum a Britannis cæsum.* cfr. adn. quam ibi adposuit Maius). in Aegypto Cyrene Cypro Iudæi usque ab anno p. Ch. 15 magnum exciuerunt tumultum, qui a Lusio Quieto hoc ipso anno, quo imperium Hadrianus est adeptus, compressus est. (Dio Cass. LXVIII 32. alios auctores uide ap. Clinton l. l. p. 100 et 102). Lycia denique qua de causa quieta non fuerit, ignari sumus et mirum est, ut ait Casaubonus, prouinciam neque præpotentem et Romanæ seruitutis iugo ita dudum assuetam, aliquid mouere ausam esse, quare scribendum esse putat *Libya.* quod maxime mihi placet, quum præsertim et Pal. et Bamberg. si Petero credimus, certe Bamb. (Iord.). *Licya* habent. et constat ex Eusebii Chron. ann. 2131 (uide Clinton l. l.) Iudæos, qui in Libya degerent, et eos his temporibus tumultuatos esse.

§ 3. *exemplo* —— *Catonis* cfr. Liv. XLIV 18, qui tamen rem aliter narrat. — *quia tueri non poterant.* uerbum tuendi quum eandem habet significationem atque id quod est *defendere*, uim verbi patiendi recipit etiam apud Varronem, Lucretium et passim in Digestis Iustiniani. uulgo scribunt *teneri*, sed contra codicum auctoritatem. — *Sarmatosirin.* ita et Bamb. et Pal. quare non dubitandum esse puto, quin ita scripserit Spartianum, perperam tamen. est enim ueri simile hoc loco Sarmatosirim scripsisse pro eius regis nomine, qui

apud Dionem (LXVIII 17. 19. 20) *Παρθαμάσιρις* uocatur, quem Armeniæ ab auunculo Chosroë rege Parthorum impositum Traianus a. p. Ch. 115 (cfr supra et Eckhel l. l. p. 437) regno priuauit. Sed etiamsi hoc nomen attulisset, prorsus errasset, quum esset ei, quem regem Parthorum Traianus constituerat a. p. Ch. 116 (Eckhel p. 438) Parthamaspati nomen, qui et ille ex Arsacidorum genere fuit. hunc uero quia Parthi in contemptu haberent, Hadrianus proximis gentibus imposuit (cfr. Dion. Cass. LXVIII 33) et Chosroï regnum, quo eum Traianus exuerat, restituit (confer Clinton. Append. II. p. 249). quem usque ad finem anni p. Ch. 121 uitam ut degerit, adducor, quia nulla eius, qui ei successit, Vologæsis II ante mensem secundum anni 122 fiat mentio. ad eos uero motus, qui apud Parthos defuncto aliquo rege exoriri solebant, id referendum censeo, quod narrat Spartianus infra c. 12. *Bellum Parthorum in motu tantum fuit*, *idque Traiani colloquio compressum est.*

§ 5. *Bæbius Macer.* hic erat consul suffectus a. p. Ch. 101 (Baiter p. LXXIX). mentionem eius Plinius min. facit in Epp. IV 9; ubi consulem designatum eum uocat. dubitat Casaubonus, an hic sit historiarum ille scriptor, quem Seruius aliique laudant. *Bebius* habent et Bamb. et Pal., quam etiam scribendi rationem in Tac. H. IV 50 et Agric. 45 codices sequuntur (vid. Tac. ed. Ruperti V. III p. 508), ubi agitur de famosissimo isto delatore Bebio Massa. sed etiamsi hic sit ex Bæbiorum familia antiqua et quidem plebeia (Orelli On. Tull. p. 93), tamen ea gens in libris plerumque et semper in numis *Bæbia a* et *e* literis scripta appellatur, in titulis uero et Bæbia et semel quod sciam Bebia (Mommsen. I. R. N. 2767). fuerunt his temporibus Bæbii in maximo honore (cfr. Borghesi. Oeuvres numism. V. I p. 457). — *Laberius Maximus. M'. Laberius Maximus* legatus pr. pr. Maesiæ bello Dacico interfuit et ob res bene gestas eum Q. Glitio Atilio Agricola alterum consulatum a. p. Ch. 104 consecutus est. primum enim consul fuerat Nerua imperante (cfr. Borghesi Oeuvr. num. II 214. Hensen 5442. 5449. Orelli 4915 sine dubio errat, quum Labus secutus legit. imp. NerVA TraiaNO cæsaRE aug. gERM dac. V M'. LAbeio max. II COS cet. restituendum est L. Appio Maximo, ut inscriptio referatur ad a. p. Ch. 103. hunc etiam commemorat Plin. Epp. X 16. — *Frugi Crassus.* fortasse filius erat M. Licinii Frugi Crassi Scriboniani a Nerone interfecti fratris eius L. Calpurnii Pisonis Liciniani, qui a Galba Cæsar adoptatus ab Othone interfectus est et Cn. Pompeii Magni Crassi, quem Claudius occidit. (cfr Tac. Ann. XV 33 et H. I 48).

§ 7. *militibus ob auspicia imperii duplicem largitionem dedit.* *duplicem* omittit Palatini prima manus, addidit tertia teste *Petero.* mirus quidem dicendi modus hic uidetur, quum omnibus perspicuum sit nullam pecuniæ summam constitutam esse, quam donatiui nomine militibus, congiarii populo imperatores imperium nuper adepti darent. quare hæc uerba nihil aliud significant quam fuisse hanc largitionem iis quæ ante hoc tempus factæ erant, multo maiorem. eodem autem tempore congiarium illud populo datum est, ut eo absente terni singulis aurei dividerentur. cfr infra c. 7 § 3. quod etiam numi testantur a. 117 cusi cfr. Eckhel l. l. p. 475, 476 ita inscripti:

IMP. CAES. TRAIANVS. HADRIANVS. AVG. caput laureatum in AE. I, etiam radiatum in AE. II.

R. PONT. MAX. TR. POT. COS. binæ figuræ togatæ sedentes in substructione, adstante liberalitate; ad singulas hinc et illinc ascendit figura congiarium acceptura.

§ 8. *Lusium Quietum — — exarmauit.* narrant et Themistius (Orat. XVI de Saturno ad Theodos. p. 205 A. laud. a Borghesi Oeuvr. num. I p. 501) et Dio Cass. LXVIII 32 hunc neque Romanum et ne Afrum quidem fuisse Maurumque Dio eum facit, cuius hæc sunt verba: *οὗτος μὲν ὁ Κυῆτος Λούσιος Μαῦρος μὲν ἦν, καὶ αὐτὸς τῶν Μαύρων ἄρχων καὶ ἐν ἱππεῦσιν ἴλῃ ἐφίστατο. καταγνωσθεὶς δὲ ἐπὶ πονηρίᾳ, τότε μὲν τῆς στρατείας ἀπήλλάγη καὶ ἠτιμώθη· ὕστερον δὲ τοῦ Δακικοῦ πολέμου ἐνστάντος καὶ τοῦ στρατοῦ τῆς τῶν Μαύρων συμμαχίας δεηθέντος, ἦλθε τε πρὸς αὐτὸν αὐτεπάγγελτος καὶ μεγάλα ἔργα ἀπεδείξατο. τιμηθεὶς δὲ ἐπὶ τούτῳ, πολὺ πλείω καὶ μείζω ἐν τῷ δευτέρῳ πολέμῳ ἐξειργάσατο· καὶ τέλος ἐς τοσοῦτον τῆς τε ἀνδραγαθίας ἅμα καὶ τῆς τύχης ἐν τῷδε τῷ πολέμῳ προεχώρησεν, ὥστε ἐς τοὺς ἐστρατηγηκότας ἐσγραφῆναι καὶ ὑπατεῦσαι τῆς τε Παλαιστείνης ἄρξαι. ἐξ ὧν που καὶ τὰ μάλιστα ἐφθονήθη καὶ ἐμισήθη καὶ ἀπώλετο.* aduentus igitur eius ad exercitum Dacicum cum equitibus Mauris repræsentatur in columna Traiani. in hoc uero Dacico bello Traiano Zarmizegethusam obsidenti maximæ fuit utilitati (Dio Cass. LXVIII 8) in bello deinde cum Parthis gesto Singara aliaque oppida cepit, rebellantibus iisdem a. p. Ch. 115 quum alia præclara gessit, tum Nisibin recuperauit, Edessam expugnauit, direptam incendit (Dio Cass. LXVIII. 22. 30. Themist. l. l.). putat Borghesi l. l. eum primum fuisse legatum Mesopotamiæ ab ipso expugnatæ. eodem fere tempore Iudæis qui in Cyrene Aegypto Cypro habitabant tumultuantibus a Traiano, qui timebat ne idem per alias quoque prouincias facerent, iussus est Iudæos omnes ex

Mesopotamia expellere a. p. Ch. 115. quæ ob merita legatus Palæstinæ factus est. legatos enim non ut putauit Borghesius procuratores a Neronis tempore hanc habuisse prouinciam recte in adn. ad l. Borghesi Henzen. demonstrauit. post uero eum qui consulatu nescio quo anno iam functus esset proconsulem Asiæ factum censet Borghesius, neque sententiam mutauit, quamquam numum illum Hyrcanorum, ex quo primo id probare uoluit, ad Auidium Quietum (C. I. G. 3835 et T. III p. 1064) referendum esse ipse concedere coactus est, sed in fastis ad ann. 868 retinuit, teste L. Renier. in adn. ad l. Borghesi eo etiam spectare putat uerbum Spartiani *exarmauit*, ut Hadrianus, qua esset astutia, equitatum Maurorum, cui præesset, ei ademerit inque prouinciam senatus populique Romani sine maiore ullo exercitu specie honoris transtulerit. quod quum refellere non possim, nimia tamen in eo mihi uidetur subtilitas inesse, neque adduci possum, ut credam uerba Spartiani illam pati interpretationem, quia exarmandi uox eam habet uim, ut significet alicui inuito arma detrahi et dicit mox Spartianus de tumultu Maurorum (cfr etiam supra § 2) in Mauretania habitantium. neque locum ita intelligere debemus ut Mauretaniæ præpositum fuisse Lusium credamus, quum minime sit ueri simile Traianum uirum consularem tam præclare de se meritum paruam in prouinciam misisse, quæ alias administrationis procuratoris erat (Tac. H. I 6). de quibus omnibus uiderint illi, qui me maiorem scientiam habent. si uero proconsulatum quendam gessit, necesse est consulem fuisse ante a. p. Ch. 115, ubi uulgo consulem eum faciunt, quum legibus statutum esset, ne quis ante quinquennium post consulatum proconsul fieret et solitum esset non ante decimum annum proconsulatum Asiæ suscipi. est autem hæc de Lusii consulatu quæstio perobscura. neque enim Borghesii obtinuit sententia, qua consulem a. p. Ch. 107 fuisse censebat neque eam postea ipse defendit (cfr. paullo supra.). idem primo initium proconsulatus eius in Augustum anni 117 incidere putauerat. occisus est Lusius anno p. Ch. 118, quo Hadrianus imperator primum Romam uenit. maximæ erat ad posteros memoriæ uir, ut etiam Ammianus Marcellinus, quum Theodosii bellicam gloriam laudat, eum simillimum fuisse dicit Domitii Corbulonis et Lusii ueterum. — *quos* pro *quas* optimi habent codices et est ad sensum, quam Græci σύνεσιν uocant, instituta constructio; quasi scriptum fuerit *sublatis Mauris*. — *Marcio Turbone.* vide infra c. 6. § 7.

§ 10. *Catilio Seuero.* L. Catilius Seuerus (Orelli 2496) consul iterum a. p. Ch. 123 cum T. Aurelio Fuluo, qui postea Antoninus Pius

appellatus imperator est factus (Capit. Anton. P. c. 2). erat ut est ueri simile hic Catilius proauus maternus Catilii uel Annii Veri qui postea ab Antonino adoptatus est et hoc mortuo cum altero quem Antoninus Pius filium adoptauerat imperator salutatus est. socer enim hic fuit Caluisii Tulli bis consulis, cuius filia Domitia Caluilla vel Lucilla (cfr. Capit. M. Ant. 6) nupta erat patri Imp. Marci Annio Vero. (l. l. c. 1, ubi § 9 cum Salmasio *æui* corrigendum est pro eo quod codices habent *aui*). præfectus urbi hic fuit (Hadr. 24 cfr. c. 15) et successorem accepit, quia Antoninum adoptatum esse dolebat. hunc uero a. p, Ch. 117 legatum pr. pr. Syriæ, quæ nondum diuisa erat (cfr. Excursum I) præposuit, eo maxime ostendens quanti eum faceret, quum eandem prouinciam quam paullo ante ipse rexisset ei traderet. — *Romam uenit.* fragmenta noua actorum fratrum arualium (uide supra) de duobus uotis *ob adventum* Hadriani mentionem faciunt, quod ita explicandum est, ut et ante aduentum et in aduentu uota pro illo suscepta sint.

## Cap. VI.

§ 1. *meruit* cfr. supra c. 4 § 10. recte monuit Casaubonus quæ hic narrantur non suo loco posita esse. prius enim hoc factum, quam ad iter se adcingeret. Hadrianus enim Romam ut iam diximus non ante annum p. Ch. 118 uenit. etenim uocatur Traianus in numis anni 117 *diuus* (Eckhel VI p. 477), unde apparet iam tum eum consecratum fuisse. aduentus autem Hadriani Romam significatur numo, ubi inscribitur COS. II (Eckhel. l. l. Akerman I p. 230).

§ 3. *triumphum ei senatus — — detulisset.* hoc uerum esse demonstrant etiam noua illa fr. aru. actorum fragmenta, quorum supra mentionem fecimus, quum inter alios deos quibus sacra *ob aduentum* Hadriani facta sunt nomina quoque Martis Vltoris et Victoriæ exhibeant. — *imaginem Traiani curru triumphali uexit.* cfr. Vict. Ep. XIII. *huius exusti corporis cineres relati Romam humatique sub eius columna et imago superposita, sicuti triumphantes solent, in urbem inuecta, senatu præeunte et exercitu.* ob eamque rem numi huius anni inueniuntur, quibus inscriptum est PIETAS Eckhel l. l. 476.

§ 4. *patris patriæ nomen delatum sibi — distulit e. q. s.* fecerunt hæc uerba doctis uiris maximum negotium et sunt de iis quot commentatores tot sententiæ. Casaubonus Onuphrium secutus moram hanc cuius mentionem facit Spartianus minimam, ne dicat nullam fuisse concludit ex numis in quibus Hadrianus et cos. II et

pater patriæ uocatur. Tillemontius illud nomen Hadrianum a. p. Ch. 118 accepisse probare conatus est. sed multo melius Eckhelius (l. l. p. 515 sqq.), quem his in rebus nemo adhuc acumine ingenii et subtilitate disserendi superauit, ex titulis atque ex numis Alexandrinis probauit Hadrianum XII demum tribuniciæ potestatis anno (qui numeratum esse ex Kal. Ian. a. u. c. 882 Borghesius contendit ad Henzen 5459) p. Ch. 129 hoc sibi nomen uindicasse. et facile explicari posse, cur numi, qui primo eius imperii anno cusi sint, ita inscribantur. nomine enim patris patriæ Hadriano absenti delato senatum decreto iussisse illud inseri monetæ. cognita uero deinde principis uoluntate hoc elogium inseri uetitum fuisse, donec princeps illud admitteret. quare ad ueritatem accomodata sunt, quæ narrat Eusebius Chron. ad a. XII Hadr., errant Orosius Hieronymus Fasti Siculi (cfr. Eckhel. l. l.).

§ 5. *aurum coronarium — expositis.* de auro coronario ad id quod Marquardtius III 2 p. 211 sqq. exposuit nihil admodum habemus, quod auctoribus diligenter perscrutatis adiiciamus, neque quod omnibus notum est attinet hoc loco rursus dicere. id modo additum uolo, quod ex loco Ciceronis (in Pis. 37. *mitto aurum coronarium* e. q. s. *lex enim generi tui* cet.) si totam orationem uidemus sequitur modum et rationem auri coronarii lege Iulia de prouinciis constituta fuisse, neque, ut est in Schol. Bob. pro Sestio p. 310 Orelli lege Iulia de pecuniis repetundis. Seruium uero in loco a Marquardtio laudato ad Aen. VII, 721. (*aurum coronarium dicit. quod triumphantibus hodieque a uictis gentibus datur. imponebant autem hoc imperatores propter concessam uitam (al. immunitatem)*), uerba ad sui temporis consuetudinem et sententiam accomodasse iam uidet Forcellinius s. u. — *ambitiose* i. e. ut gratior omnibus remissio auri coronarii uideretur.

§ 6. hoc bello Sarmatico, quod Clinton I p. 104 ad annum p. Ch. 118 refert, imperator II Hadrianus salutatus est neque amplius toto imperii tempore eum honorem auxit. cfr. Eckhel VI p. 518 sq.

§ 7. *Marcium Turbonem — — præfecit.* codices *mauritaneæ* et *mauritaniæ*. quod est in codicibus *præfecturæ*, id editio princeps mutauit in *præfecturam* et omnes deinceps scriptorum H. A. commentatores. Peterus in editione scripsit *p. Mauretaniæ præfecturam infulis ornatum cet.* Iordanus consilium Mommseni secutus aliquid inter *Mauretaniæ* et *præfecturæ* excidisse suspicatur, ut suppleatur *administrationem* uel tale quid. idem uero Mommsenus collato titulo Maffei Mus. Veron. 242, 4 quem inspicere mihi non contigit *præfecturæ infulis* iungendum esse censet. Casaubonus infulas contendit

proprias fuisse præsidibus prouinciarum Daciamque tunc fuisse 'prouinciam præsidialem' Salmasius, qui infulas omnium magistratuum fuisse credit, ita scriptum uult: *Marcium Turbonem post Mauritaniæ præfecturam, infulis ornatum Pannoniæ, Daciæ quoque ad tempus præfecit*, ut dicat Spartianus et Turbonem infulis i. e. nomine præfecturæ Pannoniæ ornatum et Daciæ præfectum fuisse. 'nam cum dicit *infulis ornatum Pannoniæ*, non Pannoniæ præfectum intelligit, sed titulo dumtaxat Pannoniæ præfecturæ ornatum. sic de eodem Turbone paullo post: *Romam uenit* (Hadrianus) *Dacia Turboni credita, titulo Aegyptiacæ præfecturæ quo plus auctoritatis haberet ornato.* — — — tantum autem interest inter præfectum et præfecturæ infulis ornatum quantum inter consulem et ornamentis consularibus honoratum.'

atque quamquam nulla infularum, ita ut sint magistratuum insignia, mentio ante Constantinum I (cfr Cod. Iust. 7, 63, 1 *honorum infulas)* mihi nota est, fieri tamen potuit ut etiam antea his magistratus uterentur uariis pro dignitate. quod si ita non sit, putandum est Spartianum ad sui temporis consuetudinem orationem accommodasse et hoc loco infulas præfecturæ dixisse pro eo quod est præfectura uel eius honor. at uero mirum uidetur, quod quum Dacia consularis esset et ambæ Pannoniæ a legatis prætoriis uel consularibus administrari solerent, tunc a præfecto hæ prouinciæ rectæ sunt. ueri simile autem uidetur eos qui ut Turbo equites Romani senatorias administrationes obibant, sæpe præfectos appellatos esse, ut etiam ii qui omnino munere quod sua dignitate maius erat fungebantur (cfr Orelli 732). et constat munera ad equites pertinentia præfecturas sæpissime uocatas esse. iam uero dubitandum non est quin his prouinciis in quibus magnos exercitus habere tunc maxime necesse esset Hadrianus uirum longa militia probatum et usu atque scientia belli præstantissimum præposuerit aut ita ut soliti magistratus simul retinerentur aut ut potestas eorum in unum Turbonem transferretur. sed tamen difficillimum est ad explicandum, cur Spartianus tam mira usus sit elocutione ut diceret *præfecturæ infulis* — — — *præfecit.* quare minime a fide abhorret ueram esse coniecturam Salmasii aut certe eandem sententiam quam ea effectam uult in hoc loco inesse.

in honorem uero Marcii Turbonis inscriptus est titulus Orellianus 831. *Marcio Turboni Frontoni Publicio Seuero præf. præt. imp. cæs. Traiani Hadriani aug. p. p. colon. Vlp. Traian. aug. Dacica Sarmizegethus.* Iudæos tumultuantes (cfr supra adn. c. 5 §§ 2 et 8) hic cum aliis ducibus compresserat et Mauros subegerat. præfectum Aegypti fuisse eum perspicuum est ex c. 7 § 4, ubi quod dicitur Dacia ei credita esse titulo Aegyptiacæ præfecturæ quo plus haberet auctoritatis

ornato nihil aliud significare potest, quam ut præfectus augustalis Aegypti fieret, ita tamen ut eum honorem non adiret, antequam res in Dacia perfecisset. successit in hoc munere M. Rutilio Lupo (cfr Letronne Rec. d. inscr. I p. 121). præfectus prætorio postea factus est, ut apparet ex titulo laudato (cfr infra c. 9 § 4 et Dion. Cass. LXIX 28) nihilque in eo munere unquam molliter facere aut uiolenter uisus est. Strenuus uero erat adeo ut Hadriano suadenti sibi ut quiesceret, responderet præfectum prætorio stantem mori oportere.

## Cap. VII.

§ 1. *Nigrini insidias — euasit.* nuper doctissimus Beulé (Journal des Savants Janv. 1869) hunc Nigrinum C. Auidium nominatum et legatum pr. pr. prouinciæ Achaiæ fuisse satis probauit ex titulo Delphico, in quo continetur iudicium finium regundorum et tollitur controuersia quæ fuerat inter Delphos et pagos uicinos. attulit hunc titulam iam Böckhius C. I. G. sed melius et maiorem partem exscripserunt Foucart et Wescher a. 1852 (cfr Étude sur le monument bilingue de Delphes. Paris 1868). Nigrini autem filia nupta erat L. Ceionio Commodo, qui postea L. Aelius Verus Cæsar appellatus est ex eaque natus est filius, qui postea M. Aurelius Antoninus appellatus imperator factus est.

in uenatione uero has Hadriano insidias factas esse dicit Dio LXIX 2, nisi pro eo quod nunc scribitur ὡς ἐν θήρᾳ mutandum est ὡς ἐν θυσίᾳ.

§ 3. *titulo Aegyptiacæ præfecturæ* uide paullo supra. — *congiarium duplex populo præsens dedit*, p. Ch. 118 tesseris diuisis ut uidetur ex numo Eckhel. VI. p. 477. hæc igitur altera erat liberalitas Hadriani. cfr supra c. 5 § 7.

§ 5. *statim cursum fiscalem instituit, ne magistratus hoc onere gravarentur.* difficillimus sane locus et a doctis uiris uarie temptatus. Casaubonus igitur hæc uerba *cursum fiscalem instituit* ita intelligenda esse censet, ut idem sint atque *cursum* (publicum) *ita instituit, ut esset fiscalis.* quem uerborum sensum uerum esse eo maxime defendere conatus est, quod iam antea Augustus (Suet. 49) publicum quendam cursum instituerit ea ratione, ut cognoscendi causa quid in singulis prouinciis gereretur, iuuenes primo modicis interuallis per militares uias, dehinc uehicula disponeret; quod factum esse cum summa imperii Romani utilitate, maximo Italiæ et prouinciarum incommodo. affert quoque Casaubonus numum Neruæ et locum Aurel. Vict. Cæs. de quibus

infra loquemur. deinde 'magistratus', inquit, 'hic capio non urbicos: quid enim illis cum cursu, sed qui irent in prouincias aut per prouincias suas iter facerent. — — postea uero quam mutata est per Augustum ratio uetus et cuique eorum qui in prouincias destinarentur certum quid — — fuit attributum pro cuiusque dignitate: tunc coepere uecturæ sumptus experiri quam essent magni; his igitur Hadrianus lege ista iuit consultum.' huic uero recte obiicit Salmasius uerba *cursum fiscalem instituit*, si ita accipiantur, contra solitum loquendi modum posita esse et magistratuum illorum minime interfuisse utrum ad fiscum pertineret cursus publicus an ad priuatos. 'siue enim', inquit 'priuati siue fiscus cursum publicum præstabat, immunes utique ab illo munere magistratus. sane non potest aliter hic locus exponi, quam Adrianum primum instituisse publicum cursum, quum ante ipsum non esset; idque in gratiam magistratuum, ne in prouincias euntes impensis suis iter facerent.' quod deinde multis locis allatis et inter se comparatis probare conatur.

atque quum nihil pro certo in hac re affirmare audeamus, nostram tamen sententiam proferemus, quia ad ueri simile accedere uidetur. apparet igitur ex loco Suetonii quem laudauimus Augustum speculatores, nam ita eos Suetonius aliis locis (Aug. 74. Calig. 44. Claud. 35 cfr Tac. H. II, 11, 73 cfr Marquardt III 1 p. 304 adn. 2075) appellat et mansiones instituisse, ut ocius quæ in prouinciis gererentur, Romæ cognita fierent; ad eamque rem milites adhibuisse et seruos publicos (cfr. Plut. Galba 8, qui eos uocat *γραμματηφόρους*); quare etiam Suetonius eius rei una cum aliis quæ ad rem militarem pertinent mentionem facit. neque fieri potuit quin uehiculis quibus hi speculatores et nuntii uehebantur sæpe etiam uterentur legati imperatorum et alii magistratus ad negotia, quibus incumberent, celerius perficienda. quare minime credi potest Traianum, cui Aurel. Vict. Cæs. XIII idem in hac re tribuit atque alii Augusto neque ut uult Salmasius Hadrianum primum instituisse cursum publicum. et hic eo magis falsus est, quod iam inter numos Imp. Neruæ unus existit, cuius pars antica duo mulos pascentes pone uehiculum exhibet his uerbis inscriptis: VEHICVLATIONE ITALIAE REMISSA (Eckhel l. l. p. 408. Akerman l. l. p. 212). uehiculationem autem, quamquam ea uox nusquam nisi in hoc numo inuenitur idem esse atque id quod est cursus publicus uel uehicularius uel munus uehicularium minime ambigi potest. quæ quum ita sint, necesse est, si hoc locum Spartianum uere dixisse putamus, aliquid ab Hadriano mutatum esse.

atque ex sententiarum apud Suetonium connexione perspicuum est, cursum hunc publicum ad rem militarem pertinuisse eoque in prouin-

ciis Cæsaris legatis pro prætore et procuratoribus curæ fuisse, in senatoriis præsidibus et quæstoribus ita tamen ut oppidani magistratus sub iis curam huius rei agerent (cfr. Plutarch. l. l.). inferrentur igitur muneris uehicularis rationes et fisco et ærario. quod quum molestum esset magistratibus prouinciarum, quibus, ut ex loco Procopii paullo infra uidebimus, cura erat frumenti emendi totum negotium ad fiscum transtulit sed ut etiam tunc a priuatis munus uehicularium sustineretur, custodia curaque totius rei penes fiscum esset. ita factum ut magistratus prouinciarum magna ex parte molestiis liberarentur. nam nihil magistratui cum ea re, quæ est fiscalis, ut ait Vlpianus l. 1 de Officio proconsulis L. 9 D. de off. præs. 1, 16: *sane si fiscalis pecunia causa sit, quæ ad procuratorem principis respicit, melius fecerit* (proconsul) *si abstineat.* apparet igitur optime ita explicari et illud *fiscalis* et uerba *ne hoc onere magistratus gravarentur.*

iam uero ad potestates urbicas magistratus uocabulum referre, quamquam et duumuiri (quatuoruiri cet.) et alii qui uel in municipiis uel in coloniis administrationem aliquam habent nonnusquam magistratus uocantur uel id uetat quod absurdum fuerit, si Hadrianus, quum proceres Romanorum, quos poenas quatuor uirorum consularium offenderat sibi conciliare uellet, magistratibus minimi momenti municipiorum et coloniarum gratum facere conatus esset.

sententia denique ea quam Casaubonus alio loco non sine dubitatione proponit, qua magistratuum hic factam mentionem ad prædia eorum in Italia sita refert, refutatione non egere uidetur. quod idem de iis ualet qui nulla ducti necessitate contra codicum auctoritatem *inhibuit* pro *instituit* scribunt.

iam uero hic de quo iam diu loquimur publicus cursus qualis fuerit superioribus temporibus perspici potest ex loco Procopii Hist. Arcan. c. 30 (ed. Orellius Lips. 1827), quem locum ita latine uertimus: priores Romani principes ut quam celerrime ex nuntiis cognoscerent, quæ qualibet in prouincia hostes molirentur, quæ in singulis municipiis seditione siue improuiso quocunque casu accidissent, quæue præfecti ac ceteri præsides per Romanam ditionem agitarent utque annua uectigalia comportanda sine mora in tuto essent publicum citumque cursum ubique hoc modo instituerunt. in uia, quam diurno itinere uiator expeditus conficit octona stabula, alicubi pauciora, infra quinque nusquam posuerunt. in singulis stabulis equi dispositi fere quadraginta et ad equorum numerum numerus idoneus stabulariorum. ergo quorum negotium hoc est equis quam exercitatissimis aliis aliunde succedentibus, uehuntur cursuque diurno decem nonnunquam dierum iter conficiunt ad quæ diximus peragenda. hinc agrorum omnium etiam mediterraneorum am-

plissimam rem domini fecerunt, nam promercales fructus alendis equis et stabulariis magno ære quæstoribus quotannis uendebant. hinc etiam erat, ut a singulis stipendiariis publica in ærarium perpetuo inferrentur; ex illatis statim æs debitum ii perciperent; omniaque fierent e republica. antehac ita res se habuit (cfr Hænel l. l. p. 279 sq.).

hunc igitur cursum publicum Hadrianus ad fiscum transtulit. et postea summam etiam diligentiam Antoninus Pius in hac re posuit (Pius. 12. § 3. *uehicularium cursum summa diligentia subleuauit*). Septimius quoque Seuerus (Seu. 13) hoc munus ad fiscum a priuatis transtulit, quibus uerbis significatur fiscum non solum curam omnis rei suscepisse, ut incolas Italiæ et prouinciarum ad munus præstandum cogeret, sed ut etiam rhedas uel angarias et equos iumentaque iugalia conduceret et iis quibus cursu publico uti licitum esset præstaret idque sua pecunia. neque enim cum Rüdigero (de cursu publico imperii Romani. Vratisl. 1846. p. 9 sqq.) putamus priuatos i. e. urbes municipales pecuniam etiam tunc præstitisse. postea uero hoc iterum esse mutatum apparet ex Cod. Theod. l. l.

illis denique temporibus quibus scriptæ sunt leges codicis Theodosiani quæ de hac re aliquid statuunt (p. Ch. 315—407) qualis fuerit cursus publici institutio, ex qua etiam qualis fuerit prioribus temporibus quodammodo concluditur, optime descripsit Marquardt. III 1 p. 305. quum autem de diplomatis dicens Salmasium laudat, qui illa postea euectiones combinas tractorias nominata esse contendit, admonendum est neque in codice Theodosiano neque apud alios nisi medii æui scriptores combinæ uerbum, quod sciam, inueniri.

§ 6. *ad colligendam autem gratiam — syngrafis — incensis.* hoc factum quod per totam antiquitatem maxime laudatum est commemorant etiam Dio Cass. LXIX 8. Zonaras XI 23. Eusebius Chron. interpr. Hieronym. Cedrenus p. 438 (ed. uetust. script. chron. Patauii 1787) Prosper p. 578: Cuspinian. anonym. Chron. p. 200. Syncellus p. 659, qui loci Eusebii male meminit, quum Hadrianum ob hoc in imperium Romanum meritum a senatu in deos relatum esse narrat, quamquam Eusebius id antequam ad liberalitatem Hadriani commemorandam accedit memoriæ tradit. idque optime Eusebius, qui hanc debitorum publicorum remissionem factam esse censet Hadriano II Salinatore coss. a. p. ch. 118, cum quo consentiunt et Dio l. l. (*ἐλθὼν γὰρ ἐς τὴν Ῥώμην* i. e. *ut primum Romam uenit* et titulus Orellii 805, — nam 806 spurius est, ut facile apparet uel ex nomine P. P. ante annum Trib. Pot. XII adhibito (cfr Orelli ad h. l. et Henzen l. l. p. 82) — et numus (Eckhel l. l. p. 478) in cuius parte antica ita inscriptum inuenitur: IMP. CAESAR. TRAIANVS. HADRIANVS. P.

M. TR. P. COS. II. *caput laureatum in AE.*, in obuersa RELIQVA VETERA. HS. NOVIES. MILL. ABOLITA S. C. *lictor* (Eckhel, alii *Imperator cum sceptro) stans syngraphos humi iacentes comburit s. fasces. in aliis: adstant præterea duæ aliæ figuræ, in aliis tres.* ex titulo uero laudato, qui hanc remissionem ad secundum Hadriani consulatum refert, eam anno 118 post dimidium mensis augusti factam esse apparet. euenit igitur hoc ante motus Sarmatarum et Roxolanorum, ut probat Gregorouius (l. l. p. 20 sqq.) maleque h. l. Spartianus ordinem rerum persecutus est.

iam uero quæritur, quod multum molestiæ doctis uiris attulit, quid et quale fuerit, quod Hadrianus remiserit, quibusque remissum sit. neque enim ambigitur de summa, quam ostendunt et titulus et numi, quæ est nouies millies centena millia numorum uel ut ad nostri temporis rationem eam exprimamus fere 65,000,000 Th. prussicæ monetæ. in alliis uero maxime dissentiunt.

Gregorouius igitur miro quodam modo omnia confundens maximam inde difficultatem oriri putat, quod Spartianus h. l. de iis modo reliquis dixerit, quæ fisco deberentur, quocum consentire putauit titulum iam laudatum, Dio uero et de iis, quæ fisco, et de iis quæ ærario Saturni deberentur locutus sit, Eusebius denique de Cæsaris modo prouinciis mentionem fecerit. Quæ omnia aliter se habent. perspicuum enim est, uerba Spartiani sic distinguenda esse, ut scribatur: *ad colligendam autem gratiam nihil prætermittens* (,) *infinitam pecuniam quæ fisco debebatur priuatis debitoribus in urbe atque Italia, in prouinciis uero etiam ex reliquis ingentes summas remisit* cet., ut illa uerba *quæ fisco debebatur* ad illam tantum pecuniam referantur, quæ in Italia et in urbe remissa sit. quo nihil facilius ad intelligendum esse potest. iam uero constat illud maxime in hac re interfuisse inter Italiam uel quod idem usque ad Caracallæ tempora ualet ciues Romanos qui agros in prouinciis non habebant et prouincias uel prouinciales usque ad annum p. Ch. 292 (quum imperium inter quatuor imperatores diuisum est et Maximinianus Africam et Italiam obtinuit; quo facto necesse erat etiam in Italia possessiones tributo subiici), ut illi uicesimam tantum penderent, hi si in prouinciis Cæsaris habitabant et tributum uel soli uel capitis et annonam, si uero in iis quibus populi nomen erat stipendium (Gai. II 21) efficerent, et omnes postquam Caracalla imperante ciues Romani facti erant etiam ea quæ pendere ciuium antea fuerat, nisi immunitatem ab imperatore aliquo consecuti erant. cogitat igitur Spartianus et de prouinciis Cæsaris et de iis quæ populi uocatæ sunt atque de reliquis quæ in illis fisco, in his ærario aut fisco debebantur. ea uero quæ in urbe et in Italia remittebantur reliqua diuersis de causis ut ex

multis, legatis testamentorum, similibus orta sunt — nam de uicesimis cogitare uetat id quod hæ non nisi de magnis hereditatibus quæ supra HS centies millia erant exquirebantur — recteque eorum debitores *priuati* nominantur, ut opponantur prouinciis, in quibus non priuati sed urbes pecuniam soluerint, ita ut cura magistratuum urbicorum in singulos diuideretur et a singulis exigeretur, quod fisco uel ærario debebatur (cfr de his rebus, quamquam multa omisit Marquardt III 2 p. 176 sqq. et qui quomodo fieret exactio præsertim post Constantinum I optime descripsit Walter Röm. R. G. I. p. 484 sqq.).

uenio nunc ad locum Dionis, qui ita de hac re dicit (LXIX 8): *ἐλθὼν γὰρ ἐς τὴν Ῥώμην, ἀφῆκε τὰ ὀφειλόμενα τῷ τε βασιλικῷ καὶ τῷ δημοσίῳ τῷ τῶν Ῥωμαίων, ἑκκαιδεκαετῆ ὁρίσας χρόνον ἀφ' οὗ τε καὶ μέχρις οὗ τηρηθήσεσθαι τοῦτ' ἔμελλεν.* quæ idem significare atque uerba Spartiani iam ex eo, quod de his dixi perspicuum est. additum uero a Xiphilino tempus intra quod hæc remissio ualeret. quod recte monuit Gregorouius ita statuendum esse, ut ab anno sexto decimo ante repeteretur, nam Scaligero qui hanc remissionem in annos deinceps sedecim ualituram contendit assentiri id uetat, quod syngraphas incensas esse et apud Spartianum et in numo et apud alios significatur, quæ syngraphæ tributis et stipendiis nondum debitis nullo modo confieri poterant.

Superest, ut de loco quem laudauimus Eusebii pauca dicamus. cuius uerba hæc sunt: *Β. ΡΙΘ. ΑΔΡΙΑΝΟΣ ΤΟ Β ΚΑΙ ΞΑΔΙΝΑΤΩΡ. Τραϊανὸν ἡ σύγκλητος θεὸν ἐψηφίσατο. — Ἀδριανὸς χρειῶν ὀφειλὰς τῶν ὑπ' αὐτὸν πόλεων (καὶ πολιτῶν) τῷ δημοσίῳ λόγῳ ἀνηκούσας ἀπέκοψε καύσας τοὺς χάρτας· ὁ αὐτὸς Ῥωμαίους ἐχαρίσατο.* primum igitur animaduertendum est illud *καὶ πολιτῶν* Scaligerum, quem secutus est Gregorouius, ex Cedreno apposuisse, quum fieri possit ut Cedrenus id de suo addiderit ut amplius uerbum *πόλεων* explicaret. idem Scaliger *ὑπ' αὐτὸν* ita uertenda esse putat ut intelligantur urbes prouinciarum Cæsaris. quod minime est necessarium, quum non contra linguæ consuetudinem sit illa uerba ita accipere ut sint *sibi subiectas* h. e. omnes imperii Romanorum urbes. ita etiam eum qui exscripserunt, quos iam supra laudaui, interpretati sunt. consimili etiam modo in argumento haud dissimili (census actionem dico) ait Dio (LIV 31): *πάντα τὰ ὑπάρχοντα οἱ, καθάπερ τὶς ἰδιώτης.* — — *δημόσιον* uero ut Salmasius ostendit apud huius æui scriptores et fiscum et ærarium significat, ut etiam rustici fiscales *δημόσιοι γεωργοί* appellentur. quæ quum ita sint, optime inter se congruunt hi tres de quibus dixi auctores.

sed pulcherrimæ huic testium concordiæ unus ille titulus obstat, de quo supra locuti sumus, ut qui nulla mentione ærarii facta fisci modo debita commemoret. quod et contra scriptorum fidem et contra id quod multis de causis uerisimillimum est uni titulo non est credendum. et facile explicari potest hæc ærarii obliuio, quum Romæ, ubi titulus ille erat, fiscalis præcipue pecuniæ remissio grata esset quum urbs ærario non teneretur.

de ærario denique populi tantum hoc loco agi non de militari perspicuum est, quum hoc maxime niteretur subsidio uectigalium uicesimæ hereditatum et legatorum (Dio Cass. LV 25), centesimæ uel ducentesimæ rerum uenalium (Tac. Ann. I 78. cfr II 48. Dio Cass. LVIII 16. Suet. Calig. 16), quinquagesimæ uel quintæ et uicesimæ mancipiorum uenalium (Dio Cass. LV 31. Orelli 3336. Tac. Ann. XIII 31). quæ omnia eiusmodi erant, ut non facile ex iss reliqua fieri possent.

similem reliquorum remissionem postea a M. Antonino factam testatur Dio Cass. LXXI 32 *ταῦτά τε ἔπραξε* (largitionem populo dedit) *καὶ τοῖς ὀφείλουσί τι τῷ βασιλικῷ καὶ τῷ δημοσίῳ πᾶσι πάντα τὰ ὀφειλόμενα ἀφῆκεν ἀπὸ ἐτῶν ἓξ καὶ τεσσαράκοντα χωρὶς τῶν ἑκκαίδεκα τοῦ Ἀδριανοῦ κ. τ. λ.* de anno uero quo hoc factum sit, ambigitur. Eusebius enim ad annum p. Ch. 177 id refert, quod non a fide abhorret. si uero ita est, necesse est Hadrianum alteram postea fecisse remissionem tredecim annorum, quum aliter is annorum numerus non compleatur, quia non uerisimile est eum qui quadraginta sex annos remittat reliquos etiam non remissurum fuisse. Scaliger sedecim annos, quorum reliqua aboleuerit Hadrianus quindecim tantum, et quadraginta sex annos M. Antonini quadraginta quinque tantum esse putat, posterioris temporis indictionum memor, quod eo minus uerum est, quum huius æui indictiones non plus decem annos comprehendisse recte concluditur ex L. 4 pr. Vlpian. de censib. D. 50. tit. 15. Gregorouius remissionem Marci anno 164 factam esse putat.

*quo magis securitas omnium roboraretur* cfr quod inuenitur in titulo sæpe laudato: NON PRAESENTES MODO SED ET POSTEROS SVOS PRAESTITIT HAC LIBERALITATE SECVROS.

§ 7. *damnatorum bona in fiscum priuatum redigi uetuit omni summa in ærario publico recepta.* dubitat Casaubonus, utrum hæc uerba de bonis omnium damnatorum accipienda sint, an de bonis illorum tantum quatuor consularium, quorum cædes supra commemorata est; quam iniustam esse dubitationem putat Salmasius. sed nullo modo illud hæc significare possunt uerba, quum connexionem sententiarum uidemus. talia igitur bona antiquitus ad ærarium populi pertinebant primusque Tiberius, quum Seianum occidisset, bona eius ærario abstu-

lit ut in fiscum cogeret (Tac. Ann. V 2, 19). ambigi potest omnia eiusmodi bona in prouinciis Cæsaris in fiscum illata sint an pars aliqua ad patrimonium Cæsaris pertinuerit (cfr Marquardt III 2 p. 222). uerisimile etiam uidetur iam tum obtinuisse morem qui postea et in iurisconsultorum et in aliorum scriptis commemoratur ut ii qui in sacro palatio officia haberent, partem quandam et bonorum damnatorum et aliarum rerum quæ ad fiscum pertinebant acciperent, quare petitionis socii uel socii liberalitatis imperialis uocabantur (cfr Lampr. Seu. Alex. 46. Cod. Theodos. X 14. Cod. Iustin. X 14 et Dirksen Script. Hist. Aug. p. 231 sqq.). eorum uero damnatorum qui proscriberentur bonorum duodecimam liberis concessit Hadrianus (cfr ad c. 18).

§ 8. *pueris ac puellis, quibus Traianus alimenta — adiecit.* hac de re quamquam disputatio plena esset delectationis, quum et multa subeant, unde penitus cognosci possit et præ ceteris in hac antiquitatis parte hæc res digna esset quæ illustraretur, tamen quum multi, quibus si melius quidquam scribere equidem conarer ridiculus sane omnibus euaderem, F. A. Wolffius Garuccius Franckius Borghesius Mommsenus Henzenius de hac re disputauerint, nihil addam. eorum uero sententias optime, ut solet, comprehendit Marquardtius (III 2 p. 112 sqq.). si qui titulos quibus maxime hoc genus liberalitatis et principum et priuatorum demonstratur adire uelit, inueniat optima apographa tabularum alimentariarum, *Velleiatis* apud. Pet. de Lama, Tauola alimentaria Velleiate della Traiana cet. Parma 1819, quam exscripsit Hænel l. l. p. 72 sqq., *Bæbianorum* apuod Mommsenium Inscr. Regni. Neap. n:o 1384 et Henzenium Inscr. Orelli p. 332. apud Mommsen l. l. et Henzen. idoneum numerum titulorum minorum, qui ad hanc rem pertinent, inuenies.

§. 9. *ut plerisque — præstiterit. in diem uitæ suæ dimensum* i. e. in omnem uitam. *sine dilatione*, i. e. ita ut non in annos uel menses singulos singulas summas iis qui liberalitate eius uterentur expenderet, sed statim satis magnam pecuniam iis donaret cuius fructibus per totam uitam se sustentarent.

§ 10. *ad honores explendos*, ut ludorum et aliarum rerum quæ in honoribus exhibendæ essent sumptus ferre possent.

§ 11. *sumptibus*, i. e. h. l. pecunia, ut doctissime probauerunt Casaubonus et Salmasius.

## Cap. VIII.

§ 1. *optumos — in contubernium imperatoriæ maiestatis adsciuit.* idem dicit Dio Cass. LXIX 7 ἀεί τε περὶ ἑαυτὸν καὶ ἐν τῇ Ῥώμῃ καὶ ἔξω τοὺς ἀρίστους εἶχε. nullam enim causam esse putamus, cur

cum Casaubono censeamus hoc esse in consilium suum et ad de publicis rebus consultationes adsciscere. — — nihilque hoc ad conuictum et interiorem Hadriani uitam pertinuisse, quod aliter se habere uel ex eo patet, quod Dio et Spartianus aliis locis de consilio Hadriani dicunt (cfr ad c. 18 § 1). iam uero inuenitur apud Suetonium Aug. c. 89. *Arei philosophi — contubernium iniit* Tiber. c. 14. *Thrasullum — mathematicum — — — contubernio admouerat* (c. 56 *nihilo levior in conuictores græculos)* Calig. c. 10 (Caligula) *in Liuiæ Augustæ proauiæ suæ contubernio mansit.* Plin. Epp. X 95. (Suetonium Tranquillum) *in contubernium adsumpsi.* plura etiam possumus exempla afferre, sed hæc satis erunt ad probandum contubernium in huiusmodi sententiis nihil aliud esse quam amicitiam conuictumque. facile autem fieri potuit, ut hos ipsos amicos, si maiorem tenerent dignitatem in consilio adhiberent principes cfr infra ad c. 18. his uero temporibus institutio illa palatii orta est, quæ postea a Diocletiano est consummata. et non multis post Hadriani mortem annis inscriptus extat titulus, in quo commemoratur *domus diuina* i. e. imperatoris uel augusta (Henzen 5241) cfr ad c. XI § 3.

§ 4. *tertio consules — cumulauit.* quum maxima ex parte qui fuerint consules suffecti librorum et titulorum auctoritate destituti nescii simus, præter illum Seruianum de quo mox loquetur Spartianus, unum modo, qui ter fuit consul cognouimus, *M. Annium Verum*, cuius primi consulatus quum nulla mentio extet, a. p. Ch. 121 summo magistratu functus tertium a. p. Ch. 126 ad idem honoris fastigium euectus est. neque tamen credendum est Hadrianum, quum ipse ter modo consulatum accepisset, multis illum honorem tribuisse nec uerisimile est multo plures III consules fuisse quam quos cognouimus, quum ii qui tertii consulatus honore ornarentur, ordinarii sæpissime fierent. *iterum* consulatum gessisse constat *Valerium Asiaticum* consulem II p. Ch. 125 *P. Iuuentium Celsum* II p. Ch. 129 *L. Aelium Cæsarem* p. Ch. 137,

§ 5. *ipsum — tertium consulatum — quattuor mensibus egit.* idem testantur noua illa fragmenta frat. aru. cfr supra ad. c. 4 § 2. contra morem superiorum principum id erat (cfr Philolog. l. l.).

§ 6. *senatui legitimo — interfuit.* senatus legitimus (cfr Capit. Pertin. 9. Spart. Gord. 11) is erat, qui Kalendis et Idibus singulorum mensium habebatur. libera autem republica nihil statutum erat de diebus, quibus senatum habere liceret, sed pro tempore indictus est. id uero mutauit Augustus in eum modum quem iam diximus (Dio Cass. LV 3. cfr LVIII 21 ὁσάκις ἂν καὶ καθήκῃ συνιέναι) et insuper statuit ne Septembri Octobriue mense ullos adesse alios necesse esset quam sorte ductos, per quorum numerum decreta confieri possent (Suet. Aug. 35). si uero aliis diebus edicto coactus habebatur senatus (Tac.

Ann. I 7), nam imperatoribus licitum erat quoties uellent eum conuocare (Dio Cass. LIV 3. Lex de imper. Vespasiano l. 3 sqq.) *indictus* appellatus est (Caput. Gord. 11).

§ 7. *senatus fastigium in tantum extulit.* apte contulit Casaubonus Vlpian. l. 1 de adpellation. L. 1. pr. Dig. a quibus appellari 49, 2. *sciendum est appellari a senatu principem non posse: idque oratione Diui Hadriani effectum.* præterea quum Hadrianus in speciem multum huic ordini deferret, tamen ex his temporibus potentia et auctoritas senatus, si qua restabat, multo etiam magis imminuta est, instituto consistorio principis (quamquam id nomen non ante Diocletianum usurpatum inuenitur), in quo non solum senatores, sed etiam alii et quidem maxime iurisconsulti assidebant cfr. infra ad c. 18.

*ornamentis consularibus præditum faceret senatorem.* nam ii qui in eos qui aliquo honore functi erant adlecti et ii qui ornamentis honoris donati sunt, etiam id consequebantur, ut suo quisque in ordine id est inter consulares, prætorios, ædilicios, tribunitios, quæstorios sententiam rogarentur.

§§ 8, 9 cfr. infra ad c. 18 § 1.

§ 11. *ne esset secundæ sententiæ.* i. e. ne Seruianus cet.

Salmasius in commentario ad hunc locum hæc uerba subditicia esse censet. et mira sane sunt. numquam enim collega imperatoris in consulatu sententiam, nisi primo loco, dicebat, quum notissimum sit principe referente consules rogari et quidem primos solitos esse. quum autem ipse alter consul referret, sententiam omnino non dicebat. quare fieri potest ut iis temporibus, quibus Spartianus scripsit, *secundæ esse sententiæ* idem fuerit atque id quod est *secundo loco esse;* dictumque scriptor uoluerit Seruianum, quum imperatorem collegam non haberet, ipsum etiam semper retulisse.

## Cap. IX.

§ 1. *inter hæc — reliquit — destruxit.* de prouinciis ab Hadriano relictis uide supra c. 5 § 3, ut totum caput perlegenti perspicuum est, idem quod hic scriptor uituperat, ibi in laude Hadriani ponit. theatri uero Traiani nemo præter Spartianum mentionem facit. fuit hoc fortasse ædificium non magnum neque ad æternitatem ædificatum. quare fieri potest ut Hadrianus id destruxerit ut aream nancisceretur Pantheo Sæptis Basilicæ Neptuni instaurandis (cfr. infra c. 19 § 16).

§ 3 cfr. supra c. 7 §§ 1, 2. — *refundebat.* minus apte ut mihi uidetur hunc uocis usum Casaubonus comparauit cum consuetudine loquendi iurisconsultorum apud quos idem est atque *reddere* (cfr. ut unum

modo afferam exemplum, Vlpian. l. 2 disputation. L. 5 § 4. Dig. de condiction. causa data caus. n. sec. 12, 4. *sed ubi accepit ut manumitteret, deinde seruus decessit; si quidem moram fecit manumissioni consequens est, ut dicamus refundere eum, quod accepit. — — — quod si moram non fecit — — — nihil eum refundere debere.* ita etiam uocem usurpant Claudianus de bello Gild. u. 162 et Trebell. Pollio Claud. 14 passim). melius enim hanc uerbi significationem conferamus cum ueteribus poetis, apud quos aqua et talia refundi i. e. reiici uel repelli dicuntur (cfr. Ouid. Metam. XI 488. Lucan. Phars. II 617. Virg. Aen. 7 590).

§ 4. de Turbone uide supra c. 4 § 2. c. 6 § 7.

§ 5. *Simili.* erat hic Similis moribus et uirtute clarissimus, ut etiam post multum tempus fama eius uiguerit (uide Ioannem Gazensem a Salmasio laudatum). euectum per omnes gradus militiæ præfectum prætorio factum fuisse et inuitum quidem narrat Dio Cass. LXIX 19, sed statim honore abiisse et ruri reliquos septem uitæ annos degisse. Spartianus autem significare uidetur quod in odium Hadriano uenerit eoque dignitatem deponere coactus sit. quinquagesimum annum agens mortuus est. (Dio Cass. l. l.). — *Septicium Clarum*, ad quem scriptæ sunt epistolæ Plinii I 1. 15. VII 28. VIII 1.

§ 6. *Campaniam — subleuauit* a. p. Ch. 119 aut 120 uide *Excursum* I.

§ 7. *prætorum et consulum officia*, sunt loca ubi ii magistratus munere funguntur et scribæ eorum conueniunt. (Angli *office* dicunt) cfr. Plin. Epp. I 5. *paucos post dies ipse me Regulus conuenit in prætoris officio, illuc me persecutus secretum petit.* et posterioribus temporibus passim.

§ 9. *socrui suæ honores præcipuos impendit cet.* fuerunt qui in his uerbis eam inesse sententiam putarent, ut Matidia, socrus Hadriani, ab eo consecrata esset. quod tamen perperam esse uidetur. quum enim iam ab a. p. Ch. 107 uel 108 Augustæ nomen habuerit (C. I. G. 2577, quem titulum Eckhel VI p. 469 ignorabat. cfr. n:o 3959), in inscriptione quæ Antonini Pii temporibus dedicata est (Grut. p. 252, 9) diua nondum uocatur, quum in eadem inscriptione et Marciana et Sabina Diuæ appellentur. huius tamen tituli auctoritas ita tantum ualebit, si spurius esse demonstratus erit numus quem affert Eckhel l. l. ita inscriptus

IMP. CAESAR. TRAIAN. HADRIANVS. AVG. P. M. TR. P. COS. III. *Caput laureatum Hadriani.*

DIVAE. MATIDIAE. SOCRVI. S. C. *templum, intra quod figura sedens; hinc et illinc sacellum, intra quod Victoria, ut uidetur, basi insistens et coronam afferens; utrinque porrigitur*

*porticus* AE. max. mod. (Mus. Cæs. Vindob.) cfr. Akerman l. l. I p. 227).

sed licet de tempore dubitetur, constat Matidiam maiorem consecratam fuisse (Orelli 2196. Henzen 5466. Eckhel l. l. p. 471 sq.)

## Cap. X.

§ 1. *post hæc — Gallias — subleuauit* uide Excursum I.

§ 2. *tolerantiæ documentis eum inbuens. documenti* uox hoc loco eandem uim habet ut sæpe in Codice Theodosiano, ut significet id quo aliquid comprobatur (cfr. ex. gr. Cod. Theod. VIII 54. 29. II 21. 2). dicere igitur potuit Spartianus: exercitum iis moribus imbuit Hadrianus, quibus idoneus fieret ad tolerantiam comprobandam. apparet uero in hoc capite quamquam ad id potissimum pertinet quod in Gallia et Germania fecit Hadrianus, tamen omnia conferri, quæ in quaque prouincia ad disciplinam militarem restituendam egerit. — *inter manipula uitam militarem magistrans. manipula* pro *manipulos* omnes habent codices. *inter manipula* Salmasius idem esse censet atque id quod est inter contubernia militum, testem afferens Vegetium. et fortasse eius sententia uera est. melius tamen hæc uerba explicantur, si idem ea significare atque *inter signa* dicimus (cfr. Marquardt III 2 p. 264) et Hadr. int. s. uersatum esse quo facilius exemplum tolerantiæ quod daret ipse omnes milites uiderent. — *magistrans.* quod uerbum, quantum scio, hoc modo loco inuenitur excepto quod *Festus s. u.* id affert declarans etiam quid significet una enumeratis uocibus: *regere temperare moderari.* idem quod hoc loco Spartianus Dio Cass. dicit LXIX 9: *καὶ τῷ ἔργῳ καὶ τοῖς παραγγέλμασι πᾶν τὸ στρατιωτικὸν δι' ὅλης τῆς ἀρχῆς ἤσκησε καὶ κατεκόσμησεν.* — *posca*, aqua aceto mixta. — *exemplo Scipionis Aemiliani et Metelli.* notissima ex historiarum scriptoribus seueritas Aemiliani in disciplina tenenda. Q. uero Cæcilius Metellus Numidicus quam in bello Iugurthino adhibuerit diligentiam ut disciplinam restitueret quis est qui nesciat? — *auctoris Traiani. auctor* alicuius apud horum temporum scriptores sæpe is uocatur qui eum creauerit uel fecerit ut munus aliquod consequeretur. ita Tertullian. adu. Marcion. V 8. dicit *Christus uiri auctor.* ita etiam a Iuliano, quum maxime in Constantium inueheretur, Senatus rogauit ut reuerentiæ *auctori* eius debitæ ne obliuisceretur. (Ammian. Marcellin. XXI. c. 10 ed. Bip.). apud eundem alio loco (XVI. c. 7) (Eutherium) *apparitorem fidum auctori suo* (Iuliano, cuius præpositus cu-

biculi erat) *quoad uixerit fore.* sed hoc loco inesse in uerbo id quoque uidetur, ut Traianus, cuius comes Hadrianus rem militarem didicit, ei fuerit auctor disciplinæ tenendæ et seuere in milites consulendi.

quid uero Hadrianus in re militari fecerit hic demonstrare non possumus et remittimus eos qui hoc melius cognoscere uelint ad *Lange* Hist. mutation. rei militaris Romanorum p. 80 sqq. et auctores quos ille nominat, ad inscriptiones cet. (Marquardt III 2 p. 454 sqq. breuius rem comprehendit). — *ipse post Cæsarem Octauianum labantem disciplinam incuria superiorum principum* (Traiani oblitus est scriptor) *retinuit ordinatis et officiis* (i. e. muneribus militaribus) *et impendiis.* quod multis exemplis allatis confirmare Casaubonus et Salmasius conati sunt.

§ 4. *uicena milia pedibus armatus ambularet.* ut plurimum itinera militum ita se habebant, horas quinque ambularent quotidie: eo spatio conficiebant modo uicena modo uicena et quaterna millia passuum. ille militaris gradus, hic plenus dicebatur (Casaub. ad h. l. cfr. Veget. I 10. L. 3 Vlpian l. 2 ad edictum D. de uerbor. significat. 50, 16) — *triclinia* habent codices. Salmasius pro *triclinia* scriptum uult *trichilia*, quum eius sententia Hadriani temporibus usus tricliniorum prorsus abolitus esset et in eorum locum successissent stibadia sigmata accubita ut uocabant. trichilia uero uel potius *trichilæ* sunt porticus uirides tecto arcuato (francogallice: *berceaux*) cfr. Copa u. 8. Columella X 394. cet. sed nihil mutandum est. sunt enim, ut idem Salmasius concedit, sæpissime idem atque coenationes (cfr. ex. gr. Quintil. XI 2. Phædr. IV 29. Varro de L. VII 14), quas maiores et uoluptatibus completas milites in castris erexerant eademque sunt quæ Dio Cass. de opera Hadriani in disciplina militari reuocanda dicens (LXIX 9) *οἰκήσεις* uocat.

§ 5. *sinę gemmis fibula stringeretur. fibulas stringeret* editio princeps perperam habet. uestes enim fibulis stringuntur; nullo autem modo ipsæ fibulæ stringi possunt. *fibula stringeret* Casaubonus Salmasius Gruterus correxerunt, ut *balteum* res obiecta sit. quo melius quidem fluens oratio fit, sed obstat optimorum codicum auctoritas, in quibus scriptum est *stringeretur.* et potest etiam hic scribendi modus facile defendi, ita ut balteum res subiecta audiatur confusa quidem sed etiam apud meliorum ætatum scriptores non insolita loquendi ratione, ut uerborum constructio ab agendo in patiendi modum transeat; cfr. de hac enallage, ut unicum afferam e-

xemplum Tac. Germ. 20. *sua quemque mater alit, nec ancillis ac nutricibus delegantur.*

§ 6. *nulli uitem nisi robusto ac bonæ famæ daret.* notissimum est uitem insigne fuisse centurionum, qui ea utebantur ad milites castigandos ideoque pro centurionatu quoque usurpari hanc uocem (cfr. inter multa, Iuuen. Sat. XIV, 193 *aut uitem posce libello*) quare in inscriptionibus munus eius, qui ordinem ducit, sigla 7 sæpissime significatur, cuius forma uitis similitudinem exprimere uidetur (quamquam aliter alii censent cfr. Zell. Hdb. d. Röm. Epigraphik Vol. II p. 54). *uitem* igitur *dare* idem est atque ordinem dare (Orelli 3456), uel aliquem centurionem facere. quare merito Salmasius h. l. Casaubonum uituperat, quod aliquid interesse hic putauerit inter uite donari et centurionem fieri, ita ut ii qui uitem accepissent in centuriouatum tum demum promouerentur quum locus uacaret. — *nec tribunum — impleret.* mos erat inde ab Augusto ut adolescentes postquam uigintiuiratum gessissent præfecti cohortium aut tribuni militum fierent inito fere uigesimo anno. (libera uero republica ita fuisse probari non potest: neque enim quidquam efficitur unico Scipionis Aemiliani exemplo (Liu. XXII 53 cfr. XXVI 8) qui in pugna Cannensi undeuigesimum tantum agens annum tribunus militum erat). hanc autem tribunorum adolescentiam et omnium rerum imperitiam toti exercitui sæpe nocuisse perspicuum est. quare Hadrianus aut certam ætatem tribunis militum constituit aut si quos ea minores tribunos fecit id spectauit, ut cuiuscunque essent ætatis, prudentiam et uires haberent; quod eo facilius fieri potuit, quia uoluntate tantum principis tribuni fieri solebant. nam *tribuni militum a populo* primis modo dominatus temporibus inueniuntur (Murat. 765, 3. Marini Atti p. 548. Orelli 2530. 3437—3439. 3816. 3883 = 3439. Henzen 6762. 7079 a. 7084. Maffei. Mus. Ver. 119, 5. I. R. N. 2192. 2193. 2220. 2231. 2232. 2233. 2299. 2316. 3628. 5370. Bullet. Inst. 1839 p, 66) quorum titulorum maxima pars Pompeii inuenta est. Hadriani deinde mansisse institutum indicat epistola Valeriani in Vop. Prob. c. 4 § 3 sqq., si omnes istæ epistolæ magnam partes putidæ et minutissimas res continentes quæ ubique a Trebellio et Vopisco inseruntur genuinæ sunt.

harum rerum omnium, quibus ueterem militum disciplinam Hadrianus reuocare studuit, memoriam etiam continent numi (uide Eckhel. l. l. p. 303. Akerman I p. 242 n. 36. Cohen II p. 197 sq. Pl. VI n. 779). cfr. etiam Dion. Cass. LXIX 9. quo capite idem fere dicitur atque hoc decimo Spartiani; addit Dio instituta Ha-

driani usque ad suum tempus mansisse, cum quo consentit Aurel. Vict. Ep. XIV.

§ 8. *contra ueterem morum.* ex quo neque sedecim annis minores neque sex et quadraginta maiores milites scribebantur (Polyb. VI 19 Liu. XLIII 14 et al. loc.) primorum autem imperatorum temporibus usque ad quinquagesimum annum ciues scripti fuisse uidentur. (Senec. de breu. uit. 20. Quintil. Inst. or. IX, 2, 85). quod iterum mutauit Hadrianus.

## Cap. XI.

§ 1. pergit Spartianus in iis narrandis quæ ad rem militarem fecerit Hadrianus. *condita militaria.* conditum est locus, in quo seruatur frumentum aliæque res ad annonam pertinentes. cfr. Spart. Gord. 28. Symmachus Epp. ad diuersos X 40 et 55. Cod. Theodos. C. 9 de suariis cet. 14, 4 *condita portuensia.* Paul. l. 2 decret. L. 97 D. de leg. et fideicommiss. 32 tit. uno *in condito aureos esse.* quæ militaria condita parata erant maxime in urbibus quæ in limite positæ erant. unde ad castra a prouincialibus conferrentur neque amplius quam tertiam alimentorum partem ipsi milites ferre cogerentur cfr. Cod. Theod, C. 15 de erogat. annon. mil. 7, 4. Casaubonus hæc condita et totius annonæ militaris rationem, imperatoribus quum iter per prouincias facerent exposita esse putat. — *reditus prouinciales*, quibus exercitus alerentur.

§ 2. *regimine morum.* Codices hic habent *regio more.* quæ uerba Casaubonus idem ualere putat atque ad mores regis uel imperatoris. nam istius æui scriptores sæpe regem pro principe uel imperatore dicunt et quidem rectissime postquam iam Aurelianus diadema sumpserit. et Græci inde a primis imperatoribus *βασιλέα* dicebant. Salmasius *conuersis* pro *conuersatis* uel *conuersantibus* usurpatum uult. quid uero sit illud *regio more* explicare summa diligentia uitat.

iam uero apparet neutram interpretandi rationem speciem ueri præ se ferre: quis enim umquam uel apud infimæ ætatis scriptores tale quid uidit, ut *regio more* scriptum sit pro eo quod est *ad regios mores.* multo igitur mallem hæc uerba ita interpretari, ut sint idem atque *exemplo et instituto digno, quod rex uel imperator edat.* nam constat etiam apud ueteres scriptores *moris* uocem eandem sæpe uim habere atque exemplum et institutum cfr. ex. gr. Cic. pro Flacco c. 7 et illam notissimam locutionem *Carneadeo more*

cet. sed etiam hic interpretandi modus contortus mihi uidetur atque longius arcessitus. quare nihil aliud superesse puto, quam ut aliquid mutandum sit. credo uerba *regio more* h. l. orta esse ex *regimine morum;* quæ in archetypo notis scripta regiie m uel morū, in illa quæ nunc inueniuntur mutata sunt. qua de re uiderint illi qui artis palæographicæ quam uocant periti sunt. — *Britanniam petiit* cet. uide Excursum I.

§ 3. *Septicio Claro præfecto prætorii et Suetonio Tranquillo, epistularum magistro — successores dedit cet.* de Septicio Claro uide supra c. 9 § 5. Suetonius Tranquillus notissimus est historiarum scriptor, qui apud Hadrianum gessit domus augustæ officium magistri epistolarum, ut ait Spartianus, quamquam dubitari potest iam tum id nomen obtinuerit, an ab epistolis, ut in titulus id munus uocatur. constat id per libertos plerumque antea solitum esse administrari (Mur. 926, 21 Iulius Styrax ab. epist. lat. Or. 2437 Liuius Theona ab epistulis græc. Gud. p. 199, 10. Ianuarius Cæsaris Aug. ab epistulis. Mur. 2043, 2. Ti. Claudius Aug. l. Philologus ab epistolis. Mur. 911, 1. Narcissi Aug. lib. ab epistulis. Ioseph. Antiq. Iud. XX 8, 9 (Burrus) Plutarch. Otho c. 9. Orelli 3197. Grut. 586, 5 T. Flauius Aug. l. Protogenes ab epistulis. Orelli 2922. cfr Henzen p. 246. Mur. 906, 6. 905, 10. Grut. 586, 4. T. Flauius Abascantus. Antistia L. f. Priscilla Aug. lib. ab epistulis l. l. d. d. (cfr Statium in Silu. V). Orelli 1641. Vlpius Aug. l. — — — ab epistulis. Orelli 2907. Grut. 587, 2 cet. uide Friedländer Sittengesch. I p. 147 sq.). quamquam narrat Tacitus H. I 58 Vitellium primum in equites Romanos ministeria principatus per libertos agi solita disposuisse et in tit. Orell. 801 Cn. Titinius Capito commemoratur præf. cohortis trib. milit. — proc. ab epistulis et a patrimonio, iterum ab epistul. diui Neruæ Cæsar. Traiani Aug. Ger. præf. uigilum quem Plin. Epp. I 17 Cornelio Titiano commendat et VIII 12 inter præcipua ornamenta sæculi numerandum censet. tamen non ante Hadrianum consuetudo perpetua obtinuit, ut illa officia per equites Romanos administrarentur. Præter hunc de quo hic agitur Suetonium quatuor cognouimus qui ei ab epistolis fuerunt (Dio LXXI 22 Auidius Heliodorus. *τὰς ἐπιστολὰς αὐτοῦ διαγαγών* Dio Cass. LXIX 3 cfr Letronne Rec. cet. I p. 190. C. I. G. 5900 *ἐπιστολεύς* L. Iulius Vestinus. cfr. Letronne l. l. Mur. 453, 3 quidam cuius nomen excidit. Philostr. V. Sophist. I 22 Celer. *βασιλικῶν ἐπιστολῶν προστάτης*). postea uero rhetores maxime eo honore ornati sunt (uide Friedländer l. l. p. 149, qui plurimos titulos huc pertinentes collegit, ad quos addendum censeo sin-

gularem illum, qui inuenitur apud Mommsen. I. R. N. 4618. L. Gabinius Cosmianus ab ep. Caracallæ (?); nam Borghesio credendum est literas GRAPH. *graphei* significare et τὸν γραφέα dictum esse qui fuit ab epistolis græcis). constat munus epistolarum a primis dominatus temporibus bifariam diuisum esse, ut essent alii ab epistulis Latinis alii a Græcis (cfr titulos laudatos et Orelli 41). Credibile autem est unum utrique præpositum fuisse qui dignitate eos antecederet qui uni modo parti præerant. nam aliter difficile est ad explicandum, quomodo eundem atque alii procuratores locum honoris in sacro palatio tenere hi potuerint, ut ex historia Imp. Claudii docemur.

uidentur hæc omnia ab Hadriano aliquo modo mutata uel potius stabilita, ut certis finibus circumscriberentur munia illorum, qui summas in sacra domo procurationes haberent. et fortasse ita ea mutauit Hadrianus, ut postea non tantum officia priuata ad imperatores modo et aulam pertinentia uiderentur, sed ad totam rempublicam referrentur (cfr tamen Tac. Ann. XV 35). quare equites Romanos, qui alias procurationes administrare solerent, ad ea quoque officia adhibuit.

Clarum et Tranquillum muneribus ea de causa Hadrianus priuauit, *quod apud Sabinam uxorem iniussu eius familiarius se tum egissent quam reverentia domus aulicæ postularet.* Hadrianus enim ut supra dixi officia quoque domus augustæ uel aulæ, quo uerbo iam ad domum et familiam principis significandam utuntur Tacitus (Ann. II 43) et ipse ille Suetonius, cuius hic mentio fit (Nero c. 6), unde *aulici* (Cal. c. 19), certo quodam ordine et ritu constrinxerat, ut esset præceptum quomodo omnia fierent et apud ipsum imperatorem et apud alios qui imperatoriæ maiestatis quodammodo participes essent, quorum nemo plus dignitatis habebat quam uxor imperatoris. Sabina uero cuius quod ex imaginibus iudicare possimus forma liberalis ingenii quoque elegantiam prodit, a uiro male habita (cfr Aurel. Vict. Epit. XIV, quamquam is rem in maius efferre uidetur), id solatium adhibuit, ut familiaritate uteretur uirorum doctrina et elegantiore literarum scientia præstantium, utique literatas haberet feminas, quarum artibus delectaretur. cuius rei optimum præbet documentum Iulia Balbilla, quæ iter Hadriani et Sabinæ in Aegypto Græcis in Memnone inscriptis uersibus celebrauit (uide Excursum) quamque Tauromenitani in titulo in eius honorem scripto (C. I. G. 5904) τὴν ἐπὶ πάσῃ ἀρετῇ σωφροσύνῃ καὶ σοφίᾳ διαπρέπουσαν uocant. atque, ut solet, præcipue inter eos qui litterarum et artium elegantiorum communi amore coniuncti sunt, familiaritas crescit et quamuis usus et conuictus eorum

sit innocens, seueritas tamen et ueneratio, quæ inter ignotos uel qui dispari conditione sunt obtinere solet, fit minor in dies oriturque libertas quædam et sermonis et conuictus. hac uero ritus atque moris neglegentia Hadrianus iratus ueritusque, ne ita totus ordo aulicus euerteretur successores præstantissimis his uiris dedit eoque a contubernio suo et uxoris remouit. quam rem pluribus attigi, ut refellerem eorum opiniones qui Sabinam impudicitiæ accusant, id ratus præclarissimum esse munus eius qui de præteritis temporibus aliquid scribit, nullam sinere maculam in eorum inhærere memoria, qui innocentes uixerint recteque fecerint. et, ut uidit Casaubonus, iam ex uerbis *iniussu eius* tristis istorum opinio refellitur.

tetricum tamen et triste quiddam in ore uultuque Sabinam habuisse ex eo fortasse colliget aliquis, quod Græci qui sæpissime imperatoribus et uxoribus eorum, adiecto uerbo *νέος*, deorum nomina indiderunt *νέαν Δήμητρα* Sabinam appellauerunt (in titulo Megarensi C. I. G. 1073 cfr Letronne l. l. I p. 102). quum autem, ut putat Boeckhius et Letronnius Eleusine Sabina Demetris nomine coleretur, aliis de causis ita potest esse uocata. rectius fortasse ex uersibus iam laudatis Balbillæ concluditur uehementem et iracundam fuisse, quia quum Memnon tacitus maneret:

*πρήθει γὰρ σεμνὰ μορφὰ βασιλήιδος ἄμμιν*

(uide Letronne l. l. II p. 362), nisi poetarum more omnia auget docta illa femina.

commemoratur sæpe Sabina in titulis et græcis (uide præter eos quos iam laudaui C. I. G. 1214. 2021. 2370. 2964. 2965. 2966. 3841 b.) et latinis (ex. gr. Orelli 763 (?). 865. 816. 819. 820. I. R. N. 4839. diua Sabina Orelli 836. 837. Henzen 5459). mortua est non sine suspicione ueneni a marito dati, ut ait Spartianus c. 23, ad mortem uoluntariam compulsa teste Victore Ep. XIV, non multo ante Hadrianum (cfr Eckhel. VI p. 520 sq.) et consecrata est, ut Eckhelio (p. 522) uerisimile uidetur ab Antonino Pio. de numis eius cfr præter Eckhel, Akerman l. l. p. 250 Tab. 6 et 7. Cohen l. l. I p. 255 T. VIII.

§ 4. *frumentarios.* erat his temporibus in quaque legione (leg. I Min. Henzen 6799. leg. II Aug. l. l. 6818. leg. III Gruter. 520, 8. leg. VI Vic. Orelli 3976. leg. VII Claud. l. l. 3492. leg. VII Gem. 3513. leg. VIII Aug. temporibus Seueri Alexandri l. l. 4922 leg. XIII ibidem leg. XX l. l. 3491 leg. XXX Murat. 847, 1. frument. leg. VII Gruter. 537, 8. 565, 11. Marini Atti p. 666. I. R. N. 6339) numerus frumentariorum, cui centurio præpositus erat (Kellerman. Vig. 284 (Marquardt III 2 p. 391). C. I. G. 2802). iis primum id solum

erat negotii ut frumentum exercitui compararent (Cæsar de bello Gall. VIII 35. Salmasius ad locum. Casaubonus, qui eos cum *τοῖς συκοφάνταις* confert, plane errat), postea uero ut quæ in prouinciis agerentur undique cognoscerent et principi narrarent. (Spart. Max. et Balb. 10 Capit. Macrin. 12. Treb. Poll. Claud. 17) omnia denique agerent, quæ postea eorum erant, qui uocabantur *agentes in rebus* (de iis cfr Hænel. Indic. p. 166 sq. Böcking ND. Ind. p. 5). his etiam iniunctum erat, ut reos in carcerem ducerent (Marquardt l. l. adn. 2252). Romæ etiam erant frumentarii cum militibus coniuncti qui peregrini uocabantur et in Monte Coelio castris continebantur. his etiam eadem negotia ut aliis frumentariis data esse uerisimile est (Marquardt l. l.).

## Cap. XII.

§ 1. *transgressus in Galliam cet.* uide Excursum I.

§§ 2, 3. uide Excursum I.

§ 4. de rebus uide Excursum I. — uerba cum Salmasio ex ueteribus editoribus, Iordano ex recentioribus Scriptt. Hist. Aug. ita distinguo: *omnibus Hispanis Tarraconem in conuentum uocatis, delectumque iculariter, ut verba ipsa ponit Marius Maximus, retractantibus Italicis, uehementissime ceteris, prudenter et caute consuluit,* ut sit sensus: quum omnes Hispani in conuentum uocati essent et Italici iocculariter (ita enim codices, neque probandus Lipsius qui *populariter* scriptum uoluit) detrectarent, ceteri uero Hispani uehementer et serio, Hadrianus tamen omnibus prudenter et caute consulit. sunt qui cum Casaubono incisum post *uehementissime* positum uelint, ut fiat sententia: Italicis, iocis eorum infensus Hadrianus, uehementissime consuluit uel in eos seuerissime egit), ceteris uero Hispanis caute et prudenter consuluit. quod absurdum esse quis est quin uideat? quis enim umquam tale quid apud scriptores uidit, ut *uehementer alicui consulere* idem sit atque *seuere in aliquem consulere uel agere*? sed ne prior quidem sententia prorsus mihi satisfacit et credo ea ipsa de causa scriptorem hoc loco apposuisse *ut uerba ipsa ponit Marius Maximus* quia huius uerba non satis intelligeret.

quæritur deinde qui sint Italici, quorum hic mentio fit. atque explodenda est eorum sententia, qui cogitauerunt de Italicensibus; nunquam enim Italicensis Italicus dici potest. Italici autem sunt ii qui extra Italiam habitantes Italia oriundi sunt uel qui urbes iure Italico præditas incolunt. de hoc uero iure multum disputauerunt uiri

docti neque rem prorsus adhuc diiudicasse mihi uidentur. ii tamen simillimum ueri sequuntur, qui cum Savigny (Vermischte Schriften I p. 29—80) non solum libertatem et immunitatem Dig. I 15, 8 pr.) sed etiam, quod Zumptius (comment. sæpe laud. I p. 489) negauit, ius Quiritium eos qui ius Italicum consecuti erant habuisse putant, ut in solo eorum legitima esset usucapio in iure cessio mancipatio uindicatio. plura de hoc iure collegerunt *Rein* in Paully Realencyclop. Aufl. I Vol. IV 642 et Marquardt l. l. III 1 p. 261 sqq. nulla uero iuris illius mentio in titulis fit et ualde errauerunt ii qui ut Walter Gesch. d. R. R. I § 301 et Dirksen Scr. H. A. p. 123 sqq., ille de ciuibus Romanis iuris Italici, hic de colonis Romanis eiusdem iuris cogitauerunt, eoque in errorem inducti sunt, quod in inscriptione quam affert Orelli N:o 3041 male lectum est IVR. pro TVR. (ma). uide Henzen l. l. p. 264.

§ 6. *non fluminibus sed limitibus.* limites h. l. sunt fines qui neque montibus neque fluminibus neque aliis a natura positis impedimentis imperium Romanum ab aliis populis diuidunt. non memini me alio loco hunc uerbi usum antea uidere ut nulla uoce adiecta limes sit animo excogitatus non a natura positus, sed facile ad hanc significationem transitur ab illa quam habet uerbum in arte agrimensorum (cfr Walter l. l. I § 249 sq. Marquardt III 1 p. 343 sq. Forcellini s. u.).

§ 7. *Germanis — compressit* uid. Excurs. I.

§ 8. *bellum Parthicum — repressum est* uide Excurs. I.

## Cap. XIII.

uide Excursum I.

§ 1. *Eleusinia sacra — pro agonotheta resedit.* quod uerbum inuenitur etiam in titulis latinis cfr Orelli 4024.

§ 9. *speciatim.* hic et infra c. 24 § 6, quantum scio, unici sunt loci ubi hoc uerbum inuenitur nisi quod codices aliqui in Cicer. p. red. in senat. c. 8 fin. uers. (uide ed. Orelli. et Baiter, V. I p. 570) idem uerbum habent, pro quo ceteri *separatim* exhibent.

## Cap. XIV.

uide Excursum I.

§§ 5—7. *Antinoum suum — iactatur.* Bithynus hic urbe Bithy-

nii oriundus Dio Cass. LXIX 11 forma omnes his temporibus, ut etiam nunc ex imaginibus quæ sunt et aliis locis et Parisiis, et Romæ in uilla Albani, in camera rotunda Vaticani, in museo S. Ioannis in Laterano uideri potest, longe præstitit. impensius Hadrianum eum dilexisse constans per totam antiquitatem opinio fert (Eckhel VI p. 530) neque ab Hadriani neque a temporum moribus id abhorret. hunc in Aegyptum secum adduxerat in quo itinere etiam Sabina una cum eo proficiscebatur. Antinous uero Nilo obrutus periit, siue quod forte cecidit, ut scripsit Hadrianus ipse (Dio Cass. l. l.) siue quod uoluntariam obiit mortem, ut dominus eius quæ futura essent sciret, ut et Dio et Spartianus et alii (uide Casaub. et Salmas. ad l.) ueritatem ferre putant. sunt etiam qui (Aur. Victor Cæs. XIV) censeant id Antinoum fecisse ut uita domini produceretur, superstitionem tunc obtinentem secutum qua credebant alterum uice alterius mortem obire posse, cuius rei multa apud scriptores inueniuntur exempla (Casaub. et Salmas. ad l.). Dio cui tamen non semper credendum esse iam uiderunt historiarum scriptores (Merivale passim) narrat sidus tum primum apparens Antinoi a familiaribus Hadriani uocatum fuisse. constat uero in honorem eius ubi sepultus esset coloniam Besam in urbem Thebaidos Hadrianum deduxisse eique Antinoopolin uel Antinoû nomen indidisse (Dio l. l. Ammian. Marcell. XXII 16, 2. Eckhel VI p. l. l.). Græcas urbes eum ut deum coluisse demonstrant multi et tituli et numi. uocatur C. I. G. 6007 *σύνθρονος τῶν ἐν Αἰγύπτῳ θεῶν*, et putatur in gemma cornalina tamquam Harpocrates repræsentari C. I. G. 7229. Orelli 823 cum Apolline Beleno componitur. in numis apud Adramytenos et Tarsenses *ΙΑΚΧΟΣ* audit, apud Hadrianotherenses et Smyrnæos et alios *ΗΡΩΣ*, apud Tarsenses alio loco *ΝΕΟΣ ΠΥΘΙΟΣ*, apud municipes inter alia *ΠΑΝ* cet. (Eckhel VI p. 530 sqq. Cohen. Vol. II p. 276) Mantineenses, quorum colonia Bithynium erat, templum ei extruxerunt, addito gymnasio et annuis initiis et certamine quinquennali (Eckhel. l. l.). Neapoli phratria Antinoitarum in honorem eius instituta et fortasse templum erectum est (uide Franz. in C. I. G. Vol. III p. 716). oracula per eum data esse etiam id confirmat, quod sacerdotes eius nonnumquam in titulus *ΠΡΟΦΗΤΑΙ* uocantur (C. I. G. 6007) ut etiam Hieronymus (Salmas. ad. l.) eos appellat. mansit, quod mirum est, ueneratio et cultus Antinoi, et optimam ex eo qui Christianam religionem contra paganos defendebant occasionem nacti esse sibi uisi sunt, ut turpitudinem et prauam antiquæ fidei rationem ostenderent (uide locos apud Eckhel. l. l. et Casaub. et Salmas. l. l. Hænel. l. l. p. 270).

§ 8. 9. *arithmeticæ — nimius* cfr. Dio Cass. LXIX 3 *ἔπλασσε καὶ ἔγραψε.* Aur. victor. Ep. XIV, *Atheniensium studia moresque hausit, potitus non sermone tantum, sed et ceteris disciplinis, canendi, psallendi, medendiquæ scientia, musicus geometra pictor fictorque uel ex ære uel marmore proxime Polycletas et Euphranoras.* quæ uerba Victoris fortasse nihil aliud sunt, quam uerborum Spartiani amplificatio. ut breuiter comprehendam, omnia nouit ille Græculus omnesque artes et studia ad uoluptatem tantum exercens primoribus ut aiunt labris gustauerat. quod tamen non solum in illum conuenit, sed proprium quoddam erat illorum temporum (cfr. quæ optime de his rebus commentatus est Gregorouius l. l. p. 149 sqq.).

*nam et de suis dilectis — scripsit.* uncis uerba *amatoria carmina scripsit* inducenda censuit Casaubonus. et apparet bis idem dici.

## Cap. XV.

§ 1. *amicos — negaret* cfr. Dio Cass. LXIX 5 *καὶ δήμοις καὶ ἰδιώταις καὶ βουλευταῖς τε καὶ ἱππεῦσι χαρίσασθαι.* largitiones a primis quoque imperatoribus comitibus et amicis fieri solere docemur ex Suet. Tib. 46.

§ 3, 4. *Eudæmonem.* de hoc nihil compertum habeo. — *Publicium Marcellum.* uerba codicum *polænum et marcellum* Zumpt. Comm. Epigr. Vol. II p. 16 emendare conatus est, ut fierent *Publicium Marcellum*, qui secundum certissimum inscriptonis Ancyranæ (C. I. G. 4029) testimonium Syriæ missus ab imperatore Hadriano præfuerit. hunc etiam consulem p. Ch. 129 cum P. Iuuentio Celso fuisse Zumptius putauit, quod tamen euertitur titulo Henzen. 7182. quum autem codices optimi h. l. *polænum* habent, primum cogitaui de Pollenio quodam, nam eo nomine præditæ gentis uiros principes postea fuisse scimus ex actis fratr. Arv. (cfr. Borghesi Oeuvr. num. II p. 232 sqq.), donec nuper inuentis actorum Fratr. Arv. fragmentis (Philolog. 1869 p. 468 sqq.) certior factus sum anno p. Ch. 120 mense mai. C. Poblicium Marcellum cum T. Rutilio Propinquo consulem fuisse; ut uerisimile uideatur h. l. scribendum esse Poblicium Marcellum nisi quis putat hunc Marcellum fuisse Q. Pomponium, qui secundum eadem acta consul mense April. anno insequenti erat.

§. 5. *Heliodorum. Auidius Heliodorus*, quem supra (cfr. cap. 11 § 3) diximus fuisse Hadriano ab epistolis græcis et postea præfectum Augustalem Aegypti non ante annum p. Ch. 133, nam eo anno inue-

nimus in titulo (Letronne Receuil 'cet. p. 375 sqq.) Petronium Mamertinum præfectum fuisse. neque id munus gerere cessauit ante a. p. Ch. 140 pridie Id. Aug. p. 124 sqq. (l. l. n:o XV.) sed ut uidetur Letronnio (l. l. p. 131 sqq.) eo functus est usque ad ann. 145—148. pater erat Auidii illius Cassii qui tantum tumultum imperantibus Pio et M. Antonino ciebat. eum enim appellat Dio Cass. LXXI, 22 *Ἡλιοδώρου τινὸς ἀγαπητῶς εἰς τὴν τῆς Αἰγύπτου ἡγημονίαν ἐξ ἐμπειρίας ῥητορικῆς προχωρήσαντος υἱον*. neque pugnat locus Vulcatii Gallicani si recte scribitur et distinguitur (Au. Cass. cap. 1 § 1.) *Auidius Cassius, ut quidam uolunt, ex familia Cassiorum per matrem tamen, auo genitus Auidio Seuero*, ut sit auus eius paternus Auidius Seuerus, mater uero ex familia Cassiorum. ita enim si censemus, et codicum auctoritatem optime sequimur, qui habent *per marem tamen nouo* et Dionis uerbis, quod necesse est quum cogitamus eum non multo post hæc tempora uixisse, satis tribuimus.

§ 6. *Titianum — proscribi.* duo mihi his temporibus uiuentes noti sunt Titiani. alter, T. Flauius Titianus præfectus Aegypti erat p. Ch. 126. 13. Kal. Apr. (Letronne Receuil. Vol. I p. 348), alter consul ordin. cum M. Squilla Gallicano p. Ch. 127, quem Coelium nominat Letronnius l. l. p. 349, T. Atilium Fasti Baiteri p. LXXXIII, nescio quos quisque auctores secuti. uter horum hic fuerit in medio relinquere cogor. non enim credibile est eum fuisse Atilium Titianum, quem solum Pius ob tyrannidem adfectatam proscripsit. uidetur enim ille, cuius h. l. mentio fit, quum semel proscriptus esset, id sibi documento habere potuisse, ne sæpius contra principes coniuraret. fuerunt postea multi Titiani (Lucianus quomod. conscrib. s. hist. c. XXI. Gruter. 413, 1. Fasti Baiteri. Index p. CCXXX. Orelli 895. Spart. Did. Iul. 8 et Digest. et C. I. uide Hænel. Ind. p. 134). Titianus uero ille quem in titulo in Pettau inuento a. 1821 Borghesius inuenisse sibi uisus est nullum fuisse docuit Mommsenus in adnot. ad Borghes. Oeuvr. Epigraph. Vol. I. p. 534).

§ 7. *Vmidium Quadratum.* quis fuerit his, nescii sumus. inuenimus autem in Fastis alium M. Vmidium Quadratum qui consul erat a. p. Ch. 167 cum imperatore L. Vero. hic maritus fuit Anniæ Cornificiæ Faustinæ sororis M. Aurelii (Borghesi Oeuvr. Num. Vol. II 13, 462 sq. Oeuvr. Epigr. Vol I p. 243 sqq.). inuenitur etiam his temporibus Vmidius quidam Terebintinus præses Moesiæ (Borghesi Oeuvr. Num. Vol. I p. 223 sq.). de Catilio Seuero et Turbone uide supra.

§ 8. *Seruianum.* L. Iulius Ursus Seruianus (L. enim habet titulus Orelli 2336 ad quem confer Borghesi Oeuvres Epigraph. Vol. II p.

507 et 515 et Henzen l. l. p. 195 et nescio cur antiquiores rei epigraphicæ scriptores et Orelli ad 2448 Caii ei prænonem indiderint), ut supra uidimus, Paullinam sororis Imp. Hadriani in matrimonio habuit. consul ter fuit, primum suffectus p. Ch. 103, iterum p. Ch. 111, tertium ordinarius p. Ch. 134. intima familiaritate cum hoc erat coniunctus Plinius minor, qui ad eum multas misit epistolas (Epp. III 17. IV 9. V 20. VI 5. 13. 26). generum habuit Fuscum illum Salinatorem (cfr. infra c. 23) qui a. p. Ch. 118 consul ordinarius fuit cum Imp. Hadriano (Plin. l. l. VI 26 cfr. Borghesi Oeuvres Num. Vol. II p. 212). eum uero Hadrianum successorem sibi destinasse consentiunt et Spartianus (uide infra c. 23 § 2) et Dio Cass. LXIX 17. postea tamen, quum in suspicionem imperii adfectati incidisset iniuste ut uidetur, mori eum Hadrianus coegit idque factum est non multo ante obitum ipsius imperatoris (Spart. infr. l. l. Dio Cass. LXIX 2 17. LXXVI 7). moribundum id eum referunt a diis rogasse, ut Hadrianus, quum cuperet, mori non posset (Dio Cass. l. l.).

§ 11. cfr. Philostr. Vitæ Soph. p. 12 ed. Kaiser.

§ 12. *Fauorinus.* Gallus hic Arelate oriundus mature Romam uenit, ubi non Græcis solum literis sed etiam Latinis operam dedit (cfr. Gell. IV 1). Dionem rhetora præceptorem habuit. postea uero multorum et præclarium uirorum familiaritate usus intima amicitia coniunctus erat cum Plutarcho, qui librum de primo frigido ei inscripsit, Frontone, Herode Attico, aliis. omnes fere disciplinas nouerat et de omnibus fere rebus scribens multos et uarios libros composuit, quorum siquis titulos cognouisse uoluerit inueniet apud Kaiser. ed. laud. uitar. Soph. p. 182 sq. nugas quoque eorum temporum more conscripsit (cfr. Mai. ad Fronton. p. 361 ed. Francof. 1816) ut laudes Thersitis, febris quartanæ cet. in philosophia Academicam rationem secutus multa cum aliis philosophis et rhetoribus habuit certamina. uersutum autem et callidum fuisse apparet et temporibus inseruientem. multum ei detulit Imperator Hadrianus nec mirum erat quum ut et ex hoc loco Spartani et ex aliis quæ narrat Philostratus semper iram Hadriani callide auertisse uideatur. tandem uero etiam cum imperatore contentionibus ortis a contubernio eius remotus est (uide Philostratum l. l. Gell. N. A. I 3, 10, 21. II 12, 22. III 1, 16. IV 1. IX 8. XI 5. XII 1. XIII 24. XIV I, 2. XVII 10. XVIII 1. XIX 3. XX 1. Dion. Cass. LXIX 3 et alios nonnullos Galeni Diogenis Laertii aliorum locos, quos laudat Kaiser l. l.).

§ 13. *triginta legiones.* conscripserat enim Traianus trigesimam legionem Vlpiam Victricem, quam trigesimam ideo uocauerat, quod

erant omnino triginta legiones, quum duo uel plures eodem numero insignes cognominibus discernerentur et nullæ essent a num. XXIII usque ad XXIX (cfr. de legionibus Marquardt III 2 p. 350 sqq. et Borghesi Oeuvres Epigraph. II p. 112 sqq. et ibi adnotationes Henzenii Renieri Hübneri, Cauedonii Rossii Mommsenii).

## Cap. XVI.

§. 1. habet hic cod. Bambergensis *catacannas* et levi mutatione Palatinus *catacannos*. quod uerbum quid significaret quum ii qui postea descripserunt nescirent, in *Vaticano* inuenitur *catacaymos*, in editione principe Mediolanensi *catacrianos*. et ualde postea doctissimos uiros hic locus cruciauit, ut libidine coniiciendi longius uagantes absurda omnia et ridicula ad locum explicandum excogitarent. Lilius quidam Gyraldus scribendum esse putauit *κατὰ Τραϊανοῦ* uel *καθ' Ἀδριανοῦ*, quod neque græce neque sanæ mentis est. Ianus deinde Parrhasius *κατὰ Ἀκκιανοῦ*, contra Attianum. at paucis solum diebus ante obitum ipsius odium Hadriani in tutorem erupit. alii *catachlyanos*, quasi caligine obductos aut *catacriticos* scribere uoluerunt. Scaliger *catachrianos* hic dictos esse putabat libros *τῶν κατὰ χρείαν λεγομένων*, illud significans, quod in rhetorum scholis tirones alia *κατὰ χρείαν* alia *κατὰ γνώμην* dicere solerent quodque constaret Hadrianum rhetorum modo se exercuisse. Casaubonus, quem nemo facile postea doctrina superauit, *catacaymos* scribendum putauit a græca uoce quæ est *καταχαυμὸς* uel *καταχαυσμὸς*, ut essent hi libri aut ita dicti quia de orbis terrarum incendio, quod Phaëtontis temeritate accidit hic dixisset Hadrianus uel quod Heracliti aliorumque philosophorum de conflagratione qua totum mundum periturum pronuntiabant sententias iis libris tractasset. Salmasius denique, quamquam fatetur locum eum non intelligere, scriptionem optimorum codicum retinendam censuit, sed ita illa explicauit, ut essent *κατὰ Κάννας*, res ad Cannas gestas. quod si uerum fuisset, Hadrianus exemplo Antimachi qui de bello Thebanico scripsit libros de pugna Cannensi composuisset. ita in errores incidere non desinebant, donec huius sæculi initiis Angelus Maius Frontonem inueniebat in palimpsesto scriptum. nam hæc catachannæ uox non solum inuenitur apud Frontonem, sed etiam explicatur uide p. 77 in ed. Francof. a. Moen. 1816. *ibi me uidere arborem multorum ramorum quam ille suum nomen catachannam nominabat. sed illa arbor mira et noua visa est mihi in uno trunco omnium ferme germina* . . . (lacuna).

p. 244. *confusam eam ego eloquentiam catachannæ ritu partim igneis nucibus Catonis, partim Senecæ mollibus et febriculosis prunulis insitam, subuertendam censeo* cet. apparet igitur *catachannas* uocatos esse hos libros Hadriani, quia uariis rebus neque uno scribendi genere compositis completi essent. quod quidem maxime conuenit in mores et ingenium Hadriani, quum eum omnia omnibus locis primoribus ut aiunt labris gustantem confuse et obiter omnia quæ cogitasset uidisset fecisset tractasse necesse est. ueri simile fit ex hoc loco Antimachum quoque, quem et obscurus et multus fuisse uidetur, ut qui libro uigesimo quarto Thebaidos septem heroes nondum ad Thebas peruenisse fecerit, nomine catachannorum præditos libros composuisse, quamquam de his nihil aliunde scimus (cfr. Paylly Realencyclop. 2 Aufl. s. u.). Antimachum uero Homero etiam Hadrianum prætulisse contendit Dio Cass. LXIX 4 fin.

§ 3. *Floro poetæ* uid. Bernhardy Gesch. d. R. L. O. Iahn. Florus, O. Müller, de P. Annio Floro poeta. inter *ambulare* cet. et *Scythicas* cet. unum uersum intercidisse uerisimile est, quia ita demum inter se respondent uersus Flori et ii quos rescripsit Hadrianus.

§ 6. *Coelium.* notissimus hic est historiarum scriptor L. Coelius Antipater. uide Ann. Acad. Lugduni Bat. a. 1821; Krause uitæ et fragm. Hist. Rom. p. 182 sqq. uidentur opera eius his temporibus doctis in deliciis fuisse cfr. Fronto p. 63.

§ 7. *mathesin.* utuntur hoc uerbo pro eo quod est mathematica (cfr. Suet. Tiber. 69), ut artem significent ex astris præcipue prædicendi quid futurum sit cfr. Spart. Ael. Ver. 3 fin. Prudentium adu. Symmachum II 893. item mathematici quoque sunt qui quæ futura sint præsagiendi scientiam profitentur Gell. I 9. Tac. Hist. I 22. Iuuenal. cet. XIX 228 cet.

§ 8. *professores* ii uocabantur qui quæstus faciendi causa literas et artes in urbibus docebant. (*Ulpianus lib. 8 de omnibus Tribunalibus.* an et philosophi professorum numero sint? et non putem; non quia non religiosa res est, sed quia hoc primum profiteri eos oportet, mercenariam operam spernere L. 1 § 4 *D. de extraord. cognitionib.* 50, 13). idem eodem loco pr. et § 5 rhetores grammaticos geometros iuris ciuilis præceptores hoc maxime nomine contineri docet, ad quos etiam adnumerantur philosophi interdum et medici. de mercedibus autem eorum præsides prouinciarium extra ordinem iudicare coacti erant. tales autem professores iam et eos maxime Græcos libera re publica etiam Romæ et postea aliis quoque locis fuisse notissimum est, quamquam primo a Romanis elegantiorum litterarum rudibus male sæpe habiti sunt. (cfr.

Suet. de illustr. gramm. 1—7. de clar. rhet. 1. Gell. XV 11 cet.), donec Iulius Cæsar omnes medicinæ Romæ professores et liberalium artium doctores (qui, ut ex multis locis uidetur, iidem sunt ac professores), quo libentius et ipsi urbem incolerent et ceteri appeterent, ciuitate donauit. (Suet. Cæs. 42). Augustus deinde in magna illa fame quæ fuit ann. p. Ch. 6 et 7 (Dio Cass. LV 26. Orosius VII 3 (Hænel)) omnes peregrinos expulit exceptis medicis et præceptoribus. primus Vespasianus e fisco Latinis Græcisque rhetoribus annua centena constituit (Suet. Vesp. 18 cfr. Zonaras 11, 17) et immunitates dedit, (D. 50, 4. L. ult. § 30) et quamquam si Zonaræ credendum est postea eosdem rhetores expellebat Vespanianus, institutum tamen postea mansit (cfr. Quint. Inst. Or. II 12 § 11, 12). perspicuum autem est certum numerum eorum constitutum fuisse qui pretium et immunitates acciperent, quamquam nulla de ea re extat mentio ante epistolam illam Antonini Pii communi Asiæ rescriptam (Modestinus C. 2. Excusationum. L. 6 § 2 D. de excus. 27, 1) qua numerus medicorum rhetorum grammaticorum, quem quæque ciuitas pro magnitudine habere posset, definitur. eodem autem loco constituitur etiam de immunitate et excusationibus et horum quos supra enumeraui et philosophorum,' de quibus aliter alii imperatores rescripserunt, et legum doctorum. (cfr. præter locos laudatos Papinian. lib. 1 Responsorum L. 8 § 4. D. de uacat. 50, 5. ibid. L. 9 et 10. C. 1. 3. 10. 16. Cod. Theod. de medic. XIII 3. C. 6, 11. Cod. Iust. de profess. X 52). eos uero immunitates post Vespasianum Imperator Hadrianus confirmasse et auxisse uidetur (D. 50, 4. L. ult. § 30). idem etiam ad exemplum Musei Alexandrini (uide Excurs. I) Romæ Athenæum, (Aurel. Vict. Cæs. XIII) quod ita uocabat, quia ibi docti uiri docerent et discipuli erudirentur (Dio Cass. LXXIII 11) ædificauit (cfr. Lampr. Seu. Alex. 35. Spartian. Gordian. sen. 3 cfr. c. 3 Cod. Theod. de stud. lib. XIV 8). illi uero imperatores ad utilitatem modo Vrbis Romæ respexisse uidentur. Antoninus autem Pius hæc instituta eorum etiam ad prouincias et omnes earum urbes transtulit (Capit. Ant. P. 11 cfr. Dig. iam l. 27, 1, 6 § 2), sed ita ut decuriones pecuniam decernerent. (Vlpianus l. singulari de officio Curatoris reipublicæ. L. 4 § 2. D. de decret 50, 9. cfr. C. 2. 6. 7. 8. Cod. Iust. de profess. X 52. C. 1. 3. 5. 11. Cod. Theod. XIII 3. Eumenius pro restauratione schol. 11—14). quod ut ex locis laudatis apparet mansit usque ad ultima imperii Romani tempora. M. tamen Antoninus Athenis munera professorum instituit qui annua dena millia drachmorum acciperent (Philostratus II 2 *αἱ ἐκ βασιλέως μύριαι*, ubi Kayser in commentario omnia absurda concinnauit). maiorem etiam de his rebus curam adhibuit Seuerus Alexander de qua Lampridius (c. 44) sic narrat: *rhetoribus gramma-*

*ticis medicis, haruspicibus mathematicis, mechanicis architectis salaria instituit et auditoria decreuit, et discipulos cum annonis pauperum filios, modo ingenuos, dari iussit*, qua re ad illa quæ a prioribus imperatoribus constituta erant id quoque adiectum est, ut discipulis prospiceretur quo fere ad eum statum peruentum est, quo post multum tempus fuerunt medii æui uniuersitates quæ uocantur. hæ uero puerorum annonæ utrum e fisco solutæ sint, an ex arca publica urbis cuiusque diiudicare non ausim. posterioribus uero temporibus quomodo fuerint hæc omnia uideri post ex libris iuris ciuilis, ex quibus multos iam locos laudaui. id modo hic addi necesse est solitos esse illos professores Romæ a senatu probari, aliis autem in urbibus ab ordine (cfr locos laudatos). et postquam uiginti annos munere functi erant, comites primi ordinis fieri potuerunt (c. 1. c. Theod. de profess. qui in urbe VI 21. c. 1 Cod. Iust. de profess. qui in urbe XII 15.). de præceptoribus et auditoriis quomodo illo tempore Romæ et Constantinopoli instituta fuerint, uide etiam C. 1. 2. 3. Cod. Theod. de stud. liber. XIV 9, in quibus constitutionibus etiam de discipulis agitur.

§ 10. *astrologos.* notissimum est uerbum *astrologiæ* per omnes linguæ Latinæ ætates latius patuisse quam nunc obtinet usus et non solum illam superstitionem sed etiam siderum motus coelestiumque rationum scientiam comprehendisse (cfr Cic. de diuin. 42. Plin. H. N. 18. 25. Seru. ad Aen. I 745). astronomiæ uero uoce rarius utuntur scriptores.

## Cap. XVII.

§ 1. *quem capitalem habuerat.* i. e. q. inimicum capitalem h. cfr Plaut. Poen. 4, 2, 57. Cic. Catil. I, 2.

§ 3. *saturnalicia et sigillaricia.* optime ut solet de saturnalibus et sigillaribus deque munusculis quæ illis diebus mitti solebant, disputauit Marquardtius IV p. 459 sqq., cuius liber quum in omnium manibus sit neque ad ea quæ dixit quidquam addendum aut mutandum habeamus, qui hæc penitus cognoscere uelit, ad eum reiicimus.

§ 4. *ad deprehendendas — sigmatibus — iussit adponi.* uarie hunc locum docti uiri tentauerunt. Casaubonus *plureis suis sumptibus* scribit et ea uerba a scriptore adiecta esse putat, quia non semper plures pauerit Hadrianus qui paullo ante summa diligentia cauisse narretur ne quid otiosum pasceret. Salmasius uero optimorum codicum scripturam *cum plurimis summatibus* retinuit idque explicauit ut Hadrianus cum primoribus (eos Plautus et qui eius elocutionem imitatus

est Apuleius summates uocat). alii *sumentibus* scriptum uoluerunt, quod quidem ineptum est. remedium denique adhibuit Bernhardy *sigmatibus* scribendo, sigmata autem lectos fuisse ad mensas rotundas accommodatos et ex similitudine græcæ literæ C appellatos inter omnes constat. *adponi* habent optimi codices, *iussit adponi* correxit tertia manus Palatini Vaticanus Editio princeps.

§ 11. *Hiberorum* uide Excursum I.

§ 12. *Pharasmanes*, rex Hiberorum cfr supra cap. 13 § 9. Capit. Anton. P. 9. Dio Cass. LXIX 15.

## Grauiora menda.

Pag. 10. u. 28. l. nullus
" 14. u. 15. l. stadio
" 15. u. 18. l. satius
" — u. 30. dele *cui*
" 19. u. 7. l. nullus
" 26. u. 5. l. 1836.
" — u. 21. l. XVI. 13. 4.
" 38. u. 39. l. mirum
" 43. u. 27. l. peregrinos
" — u. 30 et 31. l. diuisum
" — u. 32. l. Valentiniani III 1, 3.
" 46. u. 1. l. eadem munera
" — u. 16. l. ueri simile
" — u. 30. l. prætores (prætoriosue)
" 47. u. 24. l. eo munere
" 48. u. 32. l. iurisdictio
" — u. 35. dele: fuerunt.
" 49. u. 3. l. mandatam
" 53. u. 9. l. confirmandam
" 54. u. 10. l. L. XXXVI, 10, 9.
" — u. 11. l. L. XXXIX, 2, 47. 6, 43.
" 55. u. 40. l. Spartianus
" 56. u. 10. l. qui usque
" — u. 34. l. Laberio
" 60. u. 36. l. *Mauretaniam præfecturæ*
" 63. u. 37. l. loco
" 64. u. 11. l. *pecuniaria causa*
" — u. 19. l. poenis
" 71. u. 3. l. (Capit. Gord. II).
" 74. u. 27. l. de L. L.
" 75. u. 32. l. Pompeiis
" 76. u. 3. l. *contra morem veterem.*
" 83. u. 4. l. *medendique*
" 84. u 32. l. fuerit hic
" 85. u. 21. l. præclarissimorum
" — u. 31 et 32. l. Spartiani
" 86. u. 13. l. neque græcum
" 87. u. 28. l. XIV 228.
" — u. 37. l. prouinciarum
" 88. u. 23. l. eas uero
" — u. 38. l. drachmarum.

